



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. debuerit cum cicatricibus resurgere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

quomodo Christus in corpore glorioso potuerit manducare. De quare dicemus Disputatione sequenti.

ARTICVLVS IV.

Virum corpus Christi debuerit cum cicatricibus resurgere.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non debuerit cum cicatricibus resurgere. Dicitur enim prima ad Cor. 15. quod mortui resurgent incorrupti. Sed & cicatrices, & vulnera ad quandam corruptionem pertinent, & defectum. Non ergo sunt conueniens, ut Christus, qui est resurrectionis auctor cum cicatricibus resurgeret.

2. Præterea, corpus Christi integrum resurrexit: sicut dictum est. Sed apertura vulnerum contrariatur integritati corporis: quia per eas discontinuatur corpus. Non ergo videtur fuisse conueniens, quod in corpore Christi apertura vulnerum remaneret: etsi remaneret ibi quedam vulnerum insignia, quæ suscipiebant ad aspectum, ad quem Thomas credidit, cui dictum est: Quia vidisti me Thoma, credidisti.

3. Præterea, Damasc. dicit in quarto lib. quod post resurrectionem de Christo dicuntur quedam vere, quæ non habuit secundum naturam sed secundum dispensationem, ad certificandum quod ipsum, quod passum est corpus, resurrexit, ut cicatrices. Cessante autem causa, cessat effectus. Ergo videtur, quod certificatis discipulis de sua resurrectione, cicatrices ulterius non habuerit. Sed non conueniebat immutabilitati gloriæ, quod aliquid assumeret quod perpetuo in eo non remaneret. Ergo videtur, quod non debuerit corpus cum cicatricibus in resurrectione resumere.

Sed contra est, quod Dominus dicit Thome Ioan. 20. Infer digitum tuum hic, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

Respondetur dicendum, quod conueniens fuit, animam Christi in resurrectione corpus cum cicatricibus resumere. P. imo quidem, propter gloriam ipsius Christi: dicit enim Beda supra Lucam, quod non ex impotentia curandi, cicatrices seruauit, sed ut in perpetuum victoria sue circumferat triumphum. Vnde & August. dicit in 22. de Civitate Dei. Quod fortassis in illo regno in corporibus martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quedam, quantum in corpore non corporis, sed virtutis, pulchritudo fulgebunt. Secundo, ad conformandum corda discipulorum circa fidem suam resurrectionis. Tertio, ut Patri, pro nobis supplicans quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendas. Quarto, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propolitis eiusdem mortis indicis, insinuet. Postremo, ut in iudicio quam iuste damnentur, ibidem denunciet. Vnde sicut Augustinus dicit in libro 2. de Symbolo, cap. 8. Sciebat Christus quare cicatrices in suo corpore ferret: sicut enim demonstrauit Thome non credenti, nisi tangeret & videret, ita etiam inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera, quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.

Ad primum ergo dicendum, quod cicatrices illæ, quæ in corpore Christi permanserunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum, sed ad maiorem cumulum gloriæ, in quantum sunt quedam virtutis insignia, & in illis locis vulnerum quidam specialis decor apparebit.

Ad secundum dicendum, quod illa apertura vulnerum,

A quamuis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriæ, ut corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Thom. autem non solum vidit, sed etiam vulnera tetigit: quia (ut dicit Leo Papa) suffecit sibi ad fidem propriam, vidisse, quod viderat, sed nobis operatus est, ut tangeret, quem videbat.

Ad tertium dicendum, quod Christus in suo corpore voluit cicatricibus vulnerum remanere, non solum ad certificandam discipulorum fidem, sed etiam propter alias rationes. Ex quibus apparet, quod semper in eius corpore cicatrices illæ remanebunt: quia (ut Augustinus dicit ad Consensum de resurrectione carnis) Domini corpus in calo est, credo, videtur quando ascendit in celum. Et Gregor. 14. Mortuum dicit. Quod si quid in corpore Christi post resurrectionem potest immutari, contra veridicam Pauli sententiam, post resurrectionem Dominus rediit in mortem, quod quis dicere nisi stultus presumat, qui veram carnis resurrectionem denegat: Vnde patet, quod cicatrices, quas Christus post resurrectionem in suo corpore ostendit, nunquam postmodum ab illo corpore sunt remotæ.

B Contextus D. Tho. satis est perspicuus, de re verò ipsa differimus disputatione sequenti.

DISPUTATIO XLVII.

in sex Sectiones distributa.

De integritate, ac perfectione naturali corporis Christi resurgentis.

Diximus in superioribus, Christum Dominum vere, ac proprie surrexisse, atque adeo post resurrectionem habere verum corpus humanum, & perfectum perfectione essentiali: hoc enim saltem est necessarium ad veritatem resurrectionis. Vnde etiam fit, necessarium esse, ut habeat corpus organicum, & conuenienti modo dispositum saltem, prout necessarium est ad veritatem, & naturalem consistentiam humanæ naturæ, iuxta ea, quæ diximus de resurrectione in communi. Nunc ergo dicendum superest de perfectione, quæ est præter rei essentiam, sine qua rei natura posset consistere, licet non adeo perfecte. Hæc autem perfectio duplex esse potest: una supernaturalis [de qua dicturi sumus disputatione sequenti] altera naturalis, de qua hic dicendum est, & ad tria, vel quatuor capita reuocanda est, scilicet, ad perfectionem qualitatis, actionis, seu virtutis actiue, & quantitatis. Et quidem de qualitatum naturalium perfectione, nihil specialiter dicendum occurrit. Quia qualitates naturales, vel sunt dispositiones, quæ complent naturale temperamentum, & de his iam diximus, necessarias fuisse in corpore Christi. Vel sunt qualitates secundæ, quæ ex temperamento primarum consequuntur, ut color: & de his eadem est ratio, quæ de primis, nequid in eis est aliqua difficultas, quæ explicatione indigeat. Vel sunt veluti modi quidam resultantes ex quantitate, aut ex proportionem partium, seu aliarum qualitatum, ut sunt figura, pulchritudo, sanitas, & de his etiam nulla est specialis quaestio. Tum quia, si hæc fuerint perfectissima in corpore Christi mortali, certius est, esse in corpore glorioso. Tum etiam, quia cum hæc consequantur ex perfectione quantitatis, & aliarum qualitatum, explicata veritate in fundamento, explicata relinquitur in reliquis, quæ necessario consequuntur. Aliæ denique sunt qualitates, quæ sunt propriae potentie actiue, quæ in secundo membro supra posito comprehenduntur. Dicendum vero est prius de quantitate, quoniam maxime

301.
3 d. 21. q. 2. a.
4 q. 3. & op. 3.
6. 245 & op.
60. l. 22. col.
4.

ar. 2. huiusq.

l. 4. c. 10. paulo ante fin.

Super illud
Luc ostendit
eis manus c.
97 in Luc &
est vltimum
Li 22 c. 2 op.
in prin. 10. 5.

Bed. c. 97. in
Lucam id
innuit.

Aug. Epist.
146. paulo a
prin. 10. 2.
Lib. 14. Mor.
c. 11. a. m. ad.

maxime intrinseca est corpori, & ab illa maxime pendent omnes corporis facultates. Quantitatis autem perfectio in tribus potissimum videtur consistere, scilicet, in perfecto, ac completo numero omnium partium corporis humani, perfectaque singularium partium magnitudine, ex qua resultat debita totius corporis moles, ac denique debita integritas compositio, & continuatio huiusmodi partium.

SECTIO I.

Verum corpus Christi gloriosum habuerit omnes partes solidas corporis humani.

Primum omnium certum de fide est, Christi Domini corpus surrexisse integrum, ac perfectum. Quod probari potest testimoniis, & rationibus, quibus priori tomo disput. 15. section. 6. probauimus, assumptisse Verbum diuinum in Christo naturam nostram integram, sicut eam in Adamo plantauit. Quia factus est homo perfectus, ac integer, non mancus, & mutilus. Hoc enim licet fuerit verum in statu mortali, multo tamen magis in statu gloriæ. Tum quia (vt Athanasius dixit libr. de incar. Verbi, eiusque corporali aduentu) *corpus, in quo Christus resurrexit, non alterius cuiusquam, sed ipsiusmet vite corpus fuit, & ideo cum omni integritate resurrexit.* Nam sicut in prima assumptione propter Verbi maiestatem, non decuit assumi corpus mancum, aut mutilum: ita etiam neque in resurrectione, cum eadem perfectauerit vnio ad Verbum, & præterea adiuncta fuerit perfectio gloriæ, quæ naturalem hanc perfectionem supponit. Tum præterea, quia (vt dixit Greg. Nyssenus orat. 1. de Resurrect.) *Christus id, ad quod erat iterum reuersurus per resurrectionem, quidquid iacebat vna secum exciuit, sed in sepulcro iacuit integrum corpus, sicut erat viuum, quia in passione nullum membrum est illi abscissum, sicut neque eos aliquod contrafactum est.* Constat igitur, resurrexisse corpus Christi integrum, ac perfectum, atque adeo omnibus partibus solidis constans. Voco autem partes solidas eas, quæ ab humoribus distinguuntur, de quibus sectione sequenti dicendum est. Vnde sub his partibus comprehenduntur, in primis omnes illæ partes, quæ anima rationali informantur, de quibus nulla potest esse controuersia. Comprehenduntur quoque dentes, & vngues. Eiusmodi namque probabile est informari anima, & certum, requiri ad corporis integritatem, & ad aliquas actiones connaturales homini. Deinde idem dicendum de barba & capillis capitis. Nam licet de his maius dubium sit, an informantur anima: certum tamen est, plurimum conferre ad ornatum, & complementum humani corporis. Præterea idem est de intestinis, quæ etiam sunt partes solidæ, & sine vlla dubitatione ab anima informantur, & ad integritatem naturalem humani corporis requiruntur. An vero essent vacua, vel quibus substantiis plena, dicemus sectione sequenti. Et confirmantur hæc omnia. Nam in omnibus hominibus resurgentibus ad gloriam omnes hæ partes instaurabuntur, quia *capillus de capite eorum non peribit, vt late tractat August. in Enchirid. cap. 87. & sequentibus, & libr. 20. de Ciuit. cap. 19. & Theologi in 4. d. 44. vbi D. Thom. q. 1. art. 2. optimam rationem affert.* Quia corpora Beatorum reparantur ad perfectionem vltimam consequendam ergo oportet, vt in substantia sua integra, ac perfecta restituantur: ergo multo magis hoc fuit necessarium in Christo, cuius corpus non solum reparabatur per resurrectionem, vt vltimam perfectionem gloriæ consequeretur: sed etiam, vt esset exemplar omnium, quæ similem perfectionem erant consequutura, tãquam corpus ipsius Dei proprium. Accedit, quod propter infinita merita multo magis debebatur Christo hæ perfectio, quam alijs.

Solum potest hoc loco vulgaris illa quæstio desiderari, an in corpore Christi post resurrectionem

Fr. Suarez. tom. 2.

A fuerit præputium, quod in circumcisione abscissum est. Et ratio dubitandi esse potest: quia præputium Christi dicitur adhuc esse in terris. Innocentius enim tertius li. 4. de mysterijs Missæ refert, in Later. Basilica referuari, quod etiam nunc habet Romana traditio. Est enim in Lateranensi templo quidam locus sacer, qui propter multitudinem, & excellentiam reliquiarum, quæ in eo adseruantur, Sancta Sanctorum vocatur: ibique præputium Christi esse dicitur, translatum porro tempore Caroli Calui ex Aquisgranensis ciuitate, vbi (eodem autore Innocentio) Carolus Magnus illud collocauerat, sibi per Angelum Ierosolyma delatum. Et confirmatur, quia sicut in corpore Christi resurgentis manserunt vulnera clauorum, & lanceæ, salua corporis integritate, ac perfectione: ita potuit manere cicatrix illa circumcisionis, igitur non fuit necessarium præputium iterum assumi.

Et in reuelationibus Sanctæ Brigittæ lib. 6. c. 102. refertur: B. Virginem Brigittæ reuelasse, se vsque ad mortem suam particulam illam seruasse: & tunc Euangelistæ Ioanni eam tradidisse, ipsumque reliquisse eam successoribus suis: postea vero fideles eam in loco occulto reposuisse, in quo delituit, donec per Angelum manifestata esset.

Nihilominus dicendum est, in corpore Christi Domini resurgentis est præputium. Ita sentiunt Theop. Luc. 1. Bona. in 4. d. 12. & Supplementum Gab. in 4. d. 44. q. 1. & Medina hic art. 2. existimat esse rem certam, quamuis Turrecremata in c. Inuitat. de consecrat. d. 2. & Syluest. in rosa aurea, rem sub dubio relinquant. Ratio autem nostræ sententiæ est. Quia præputium est particula humani corporis ad eius integritatem aliquo modo pertinens: ergo non deest nunc corpori Christi in calo. Quia esset aliqua imperfectio, cuius nulla sufficiens causa fingi potest. Nam, quod maneat cicatrix vulneris in circumcisione accepti, vel non est necessarium, vel certe fieri potuit sine diminutione, & defectu alicuius partis. Item Adam, & alij Beati habebunt integra corpora absque defectu huius partis. Quod enim quidam dixerunt (vt hic Medina refert) omnes Beatos habituros circumcisa corpora, fabulosum est ac Iudaicum, & de ijs, præsertim qui in hac vita circumcisi non fuerunt, est prorsus incredibile. Cur enim humanum corpus non habebit in beatitudine omnem illam naturalem perfectionem, & substantialem integritatem, quam in prima creatione habuit, & in statu innocentie haberet? Aut cur potius virile corpus, quam femineum ex parte aliqua mutilum futurum erit? Quod si in aliquo futurum est integrum, & sine villo defectu, maxime in Christo.

Ad traditionem ergo, seu historiam referentem particulam illam præputij Christi seruari hæcenus in Ecclesia, Innocentius supra in dubium illam reuocat. Nam dicit, totum hoc esse Deo committendum. Supplementum autem Gabrielis dicit, probabile esse simul manere in terra, & in corpore Christi, in quo informatur anima rationali, & viuunt: in terra vero est inane. Sed mihi non videtur hoc credibile, nõ quod existimem implicare contradictionem, sed quia nulla est causa tanti miraculi, nec probabile fundamentum, vt illud credatur. Bonauentura igitur supra, dubio secundo circa textum Magistri respondet, fortasse in præputio non fuisse aliquid pertinens ad veritatem humanæ naturæ, vel (si aliquid fuit) illud fuisse reassumptum: aliquam vero materialem partem conseruatam esse pro deuotione fidelium. Mihi tamen dicendum occurrit, particulam illam præputij formaliter (vt sic dicam) esse de integritate corporis, non vero materialiter, id est, vt constans ex illa indiuidua parte materiæ, ex qua constabat præputium in circumcisione abscissum, iuxta doctrinam generaliter supra datam de veritate resurrectionis. Vbi ex sententia Augustini, &

¶ u 2

Diui

Corpus Christi integrum ac perfectum resurrexit. Athanasius.

Greg. Nyss.

Luc. 21.

August.

D. Thom.

Dubium.

Inno. 3. Pag.

Responsio: In corpore Christi resurgentis præputium est. Theodor. Bonauent. Sup. Gab. Medina. Turrecra.

Inno.

Sup. Gab.

Bonauent.

Responsio: ad obiectionem.

Diui Thomæ diximus, non esse ad veram resurrectionem simpliciter necessarium, vt omnes partes materiales corporis ex eisdem numero partibus materiæ constet, ex quibus prius constabant: sed sat esse, vt rotum constet ex eadem materia tota, & ad maiorem perfectionem satis etiam esse, vt principales partes, seu organice omnino eadem sint, & ex eadem materia. Quod vero minima aliqua materialis pars interdum ex alia materia suppleatur, nihil obstat tam veritati, quam perfectioni resurrectionis, præsertim si illam materiam fuit aliquando pars eiusdem corporis. Sicigitur in præsentī dici potest corpus resurgens habuisse præputium formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuit in corpore Christi, & per continuam nutritionem resoluta fuerat: particulam vero illam, quæ in circumcissione abscissa fuerat, relictam esse in terris ad fidelium deuotionē. Hoc modo & saluatur perfecta integritas corporis Christi resurgentis, & fides humana adhibetur traditioni asserenti, Christi præputium manere in terris. Neque in hoc apparet vlla difficultas, vel inconueniens. Nam etiam illam particulam tempore infantiæ abscissa non constabat ex tota materia necessaria, vt restitueretur in ea quā titate, quam corpus perfectæ magnitudinis requirit. Oportebit ergo addere aliquid materiæ, id scilicet, quod in vitæ progressu acquisitum esset per nutritionem. Rursus illam particulam materiæ, quæ constabat præputium in infantiā, fortasse si tunc non fuisset abscissa, per cōtinuam vitæ nutritionem fuisset resoluta, sicut de materia aliarum partium est verisimile, ergo non oportuit assumere præputium ex illam materiam. Et hoc est satis ad rem incertam, dummodo certo constet, Christi corpus in cælo hac parte non carere.

SECTIO II.

Quomodo in corpore Christi glorioso, vulnere cicatrices, salua eius integritate, ac perfectione permanserint.

Hæc dubitatio oritur ex dictis sectione præcedenti, duplici ex capite. Primo, quia de integritate, ac perfectione humani corporis est partium continuas, sine qua nec integritas, neque soliditas perfecta potest intelligi. Sed, si in manibus, pedibus, ac latere manserunt hiatus vulnerum, non potuerunt illæ partes esse continuæ: ergo neque haberent debitam integritatem. Et hæc difficultas potissimum apparet in arterijs, neruis, ac venis. Nam horum continuas maxime necessaria est ad contiendum sanguinem, & spiritus, & vt deriuentur, fluantque per corpus: denique ad motionem, & vsum partium organicarum. Secundo, quia necesse est, vt desint aliquæ partes carnis, & neruorum, aliaque similes, quibus illa foramina opplenda forent: ergo non est corpus omni ex parte completum. Antecedens patet, quia de facto illa vulnera non replentur carne, neruis, &c. & aliis partibus nihil est additum. Oportuisset enim aut deniores fieri, quam natura sua postulent, aut aliunde deformiter augescere: vtrumque autem est contra perfectionem illius corporis. In contrarium autem est, quia Ioann. 20. dicitur Christus, vt Thomam ad fidem reuocaret, in manibus ac latere vulnerum ostendisse vestigia.

In hac re propter prædictum locum Ioan. de fide certum est, seruatas esse in corpore Christi resurgentis quinque vulnerum cicatrices. Nam, licet Ioannes non faciat expressam mentionem pedum, tamen vniuersa Ecclesia semper intellexit, ita esse locum hunc explicandum, sicut & ab vniuersis Patribus expostus est. Quia fere eadem est ratio pedū, ac manuum. Quod vero Christus tantum manus, & latus ostendit;

in causa fuit, quia Thomas solum fecerat mentionē manuum, ac lateris, quādo in sua incredulitate persistens dixerat, *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.* tamē reuera sub manibus, & latere, etiam pedes comprehendere voluit. Adde, Lucam, dū narrat eam apparitionem quam refert Ioann. ca. 20. cū Christus ingressus est ianuis clausis ad discipulos, Thoma absente dicere, ostendisse Christum discipulis manus ac pedes: cum tamen Ioannes dicat ostendisse eis manus, & latus: ergo signum est, sub his vulneribus omnia comprehendi. Sit ergo certum, mansisse post resurrectionem omnia.

Secundo est certum has cicatrices non fuisse apparentes, aut pro illo tantum tempore, quo se discipulis Christus ostendebat effictas: sed ab instanti resurrectionis vere in Christi corpore permansisse, perpetuoque duraturas. Ita explicant hoc mysterium Ignat. Epistola. 10. Smyrnenfes. Hilarius. libr. tertio de Trinitate, Iustin. Dialog. cum Triph. Dionys. capite septimo de celest. hierar. Leo Papa sermone primo de resurrectione, Augustin. epist. 40. quæst. 1. & libr. 2. de Symbolo ad catechumenos, cap. 8. & libr. 2. de ciuitate cap. 20. Ambros. & Beda Luc. vltim. Cyril. Alexand. libr. 12. in Ioann. cap. 58. & Ierosolymitan. cat. 14. Athanas. Epist. ad Episcopus, & oratione contra Arianos, in hoc dictum. *Ex Deo Deus est Verbum*, circa finem; Gregor. homilia. 26. in Euangelia, & omnes interpretes Ioann. 20. Ratio est, primo, quia cum stigmata vulnerum ostensa sint à Christo in veritatis testimonium, debuerunt esse vera, & non ficta. Item cum Christi corpus resurrexerit immortale, & impossibile, nullam postea mutationem seu alterationem in propria substantia, & quantitate, pati debuit. Ergo sicut vera ostendit stigmata vulnerum, ita à principio resurrectionis ea habuit, ac perpetuo retinet. Vnde Cyrillus Alexandrinus supra colligit, Christum eas cicatrices secum attulisse in cælum ex illo Zacha. 13. *Quid sunt plage istae in medio manuum tuarum? &c.* dicit: *Hic plagatus sum in domo eorum: qui diligebant me.* Item ex simili interrogatione Isai. 36. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bosra? &c.* infra, *quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* Quæ loca de hoc mysterio interpretatur etiam idem Cyrillus, in Exegeti ad Acacium, quæ habetur in Concilio Ephesino tomo 6. ca. 16. & in Isaiam ibidem Hieronym. exponit interrogationem hanc inductam esse ab Angelis, Christo in cælum ascendente. Augustinus etiam supra affirmat, Christum venientem ad iudicium, allaturum hæc stigmata, eaque suis inimicis ad eorum confusionem ostensurum. Et in hunc modum interpretatur illud Zachar. *Aspiciens ad me, quem confixerunt.* Quod eodem modo exposuit idem August. lib. 20. de Ciuitate. ca. 30. & lib. 1. de Trinitate capite decimo tertio. Hier. Theodoretus Rupertus in eundem locum; Leo Epist. 97. ad Leonem Augustum, vbi Chrysostomum in eandem sententiam adducit homilia de cruce, & Dubium latrone c. 6.

Difficultas vero superest, primo in explicando, qualia fuerint hæc vulnerum stigmata. Duobus enim modis possunt intelligi, primum vt vere manserint in manibus Christi foramina clauorum, & similiter in pedibus, & latere. Alio modo, vt omnes partes reuera fuerint integræ, continuæque manserint tamen ibi signa aliqua, & vestigia vulnerū. Hoc enim posteriori modo videtur exponere Augustinus dicta Epistola quadagesima nona, & aliis in locis, quæ retulimus. Dicit enim, Christum post resurrectionem non vulnera monstrasse dubitantibus, sed cicatrices, quæ tūc falsæ fuissent, si nulla vulnera percussissent, & neque ipsæ essent, si eas esse noluisse. In eadem sententiam referri possunt, qui hæc vocant *stigmata: vestigia, notas*, aut *cicatrices vulnerum*, Greg. vterque, Cyril. & alij. Atque huic explicationi fauent rationes dubitandi initio positæ.

Ceterum

Particula
præputij
Christi
circumcisio-
ne abscissa in
Latere, nensi
Basilica ad-
seruari cre-
ditur.

Ioan. 20.
Luc. 24.

Cicatrices
vulnerum
in corpore
Christi glo-
rioso non ap-
parentes, sed
vera.

Ignat.
Hilar.
Iustin.
Dionys.
Leo Papa
August.
Ambros.
Beda.

Cyril.
Cyr. Iero.
Athanas.
Greg.
Cyril. Alex.

Zach. 13.

Con. Ephes.
Hieronym.

August.

Zach. 12.

Hieronym.
Theodor.

Leo Papa
Leo Papa
Dubium

August.

Greg.
Cyril.

Ioan. 20.
In corpore
Christi glo-
rioso quinque
vulnerum
cicatrices
permanserunt.

Responsio.
Abulens.Caiet.
Iansen.

Cyril.

Greg. Naz.

Ioan. 20.

August.

Petr. Chrys.
Ioan. 20.

Obiectio

Ceterum communis sententia est, in his vulneribus mansisse vera foramina. Ita docuit Abulens. par. quinta, ca. vigesimo quinto, & vigesimo sexto, quem recentiores sequuntur, Caietanus hic artic. 4. & Ioann. vigesimo, Iansenius cap. 147. concord. Toleus Ioann. vigesimo, Medina hoc loco. Et videtur fuisse sententia Cyril. libro de fide ad Theodos. circa finem, dicentis, *Postquam Thomas manus in latus, & digitos in clauorum foramina intulisset, statim exclamauit, Dominus meus, & Deus meus*, Gregorius Nazianzenus oratione quadragesima secunda dicit, mansisse clauorum impressiones. Euthym. in Ioannem, dicit, Thomam vidisse vestigia clauorum, & latus Christi apertum. Et videtur hæc sententia aperte conuinci ex Euangelio. Primum enim dicit Thomas, *Nisi videro in manibus fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum in latus eius, non credam*. Quæ verba videtur Thomas dixisse permotus sermonibus Discipulorum, qui dicebant, se vidisse Dominum. Vnde verum simile est, etiam narrasse, vidisse se loca, id est foramina, rupturasque clauorum, & lanceæ. Hæc enim per se considerata non videntur esse signa hominis viuentis, & fuscitati. Nā per veram, & perfectam resurrectionem potius viderentur tollenda omnia vulnera, & vulnere cicatrices (vt apud Augustinum, etiam ethnicus Porphyrius obiebat) cur ergo postulasset Thomas hæc signa in Christo fuscitati, nisi ab alijs discipulis audiisset, Christum in suo corpore hæc signa conseruasse, & ostendisse? Vnde Petrus Chrysologus, sermone 28. pertrahens illa verba Christi, *Videte manus meas, & pedes meos*, in hæc verba introducit Christum loquentem, *Quia gratus oculis: caput adhuc respicere non potestis, videte carnis vulnera. Oculis non videt, videat tactus, digitus vestri interni vestigia clauorum, manus vestre alia vulneris exquirant. Aperite manuum foramina, sulcate latus, renouate vulnera. Quia negare non possum discipulis ad fidem, quod inimici in penam sententibus non negant. Palpare, palpate, & vsque ad ossa inquisitores ardui peruenite, vt vel ossa carnis astruant veritatem, & me esse ipsum vel vulnera seruata testentur*. Denique cum Christus postea dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum*, aperte significauit, fuisse in eis partibus hiatus aliquos, in quos, exploratores digiti, & manus immitti possunt. De quibus loquens idem Petrus Chrysologus serm. 76. *Dominus (inquit) eadem rediit in carne, vulnera reportat, ipsa clauorum foramina resumis, & ipsa facit testimonia sui corporis, sua resurrectionis indicia, quæ sua fuerant, consummelia passionis*.

Sed dicet aliquis, posse excogitari modum, quo intelligatur mansisse tantum cicatrices, seu signa vulnerum: non tamen propria foramina, quæ non essent carne, & sanguine plena. Cum enim corpus Christi esset gloriosum, poterat per dotem subtilitatis penetrari cum alio corpore, vel (si vellent) illi resistere, & ab eodem loco pellere: similiter quoque poterat suo arbitrio visum immutare secundum aliquam partem, & non secundum aliam. Sic igitur potuit Christus dare locum Thomæ, vt digitos in loca clauorum immergeret, ac si essent carne vacua, contingendo, & palpendo latera vulnerum, & non carnem intermediam, non quia re ipsa nulla esset inter ea latera interiecta caro, sed quia quoad illam carnem vtebatur dote subtilitatis, faciendo, vt non resisteret, nec palpari posset: quoad alias vero partes permittendo, se contrectari, ac palpari. Et simili modo respectu visus facere potuit, vt illa caro interiecta inter latera non multiplicaret species, nec immutarent visum, neque etiam impediret, quominus totus ille locus esset transparens, ac diaphanus. Hæc enim sunt facilia corpori glorioso, quod lucidissimum est, & visum immutat, vt vult. Quod si obijcias, quia iuxta hunc modum expli-

Fr. Suarez, tom. 2.

A candi, sequitur Christum non vera ostendisse vulnera, sed ficta. Responderi potest cum Augustino, ipsum non vera monstrasse vulnera: nunquam enim Euangelium id dixit: sed solum ostendisse Christum manus, & latus. Et cum dixisset Thomæ, *Infer digitum tuum huc*, non addit, & vide vulnera mea: sed dixit, & vide manus meas. Neque vero ostendit ficta vulnera, sed ostendit vera loca vulnerum cum signis, & veris cicatricibus vulnerum, Vnde addi potest, quamuis manus, v. g. Christi sit integra, & tota caro eius continua: tamen in illa parte, vbi clavis fuit infixus, apparere locum ipsius vulneris cum propria figura, & speciali colore, ac fulgore, qui non tantum in superficie, sed in tota profunditate vtriusque cernatur: & quamuis totus ille locus, & quasi foramen nunc non sit carne vacuum, sed plenum: tamen carnem, quæ ibi est inclinata, esse quasi gemmam quandam singulari modo perlucidam, & perfectissimo colore imbutam. Vnde fit, vt sine vlla fictione, vel fallitate potuerit Christus ostendere discipulis cicatrices, & stigmata vulnerum, ita vt ab eis vere videri potuerint, tangi, & (vt ita dicam) penetrari, vel oculis, vel digito quam reuera in corpore Christi nullum sit foramen carne vacuum. Denique videri potest hic modus dicendi non improbabilis, quia & rationes in principio factæ optime hoc modo expediuntur, & apparet consentaneus Augustinus. locis citatis, & 12. de Ciuitate capit. 19. & 20. & Diuus Thomas hic articulo quarto ad primum & in tertio distinctione, 22. quaestione. 2. artic. 4. quaest. 3. ad 1. qui dicunt, cicatrices vulnerum mansisse in Christo absque villo defectu, & cum magno decore, qui apparet in locis vulnerum. Sentiunt ergo, nullam partem carnis ibi defuisse, & decorem illum in carne ibi existente apparere. Et idem sentit Sorus in 4. dist. 44. art. 3. agens de Martyribus.

Nihilominus modus hic explicandi hæc vulnera, sicut nouus, ita & suspectus est, minusque consentaneus Evangelicæ veritati, & candori, & ideo prior communis sententia omnino defendenda est. Et iuxta illam ad rationes dubitandi initio factas dicendum est, speciali miraculo factum esse, vt illa foramina non impediant, quominus nerui, arteriæ, & venæ continuæ sint, optimeque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones, & motus vite. Et quamuis ibi desit aliquid carnis, ita sunt illæ partes dispositæ, vt nullam deformitatem, sed potius decorem singularem habeant. Vnde ille non reputatur defunctus, aut imperfectio aliqua, cū nec pulcritudinem minuat, neque optimam dispositionem tam ad existendum, quam ad operandum tollat.

Vltimo queri potest, cur Christus voluerit hæc vulnerum stigmata in glorioso corpore conseruare. Porphyrius enim Augustinus. Epistola 49. sic obiebat, *Si post resurrectionem status beatus futurus esset, quid sibi vult citatum Christum fuisse, & vulnera monstrauisse, sed si propter incredulum fecit finxis: si autem verum ostendit, ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera*. Itaque infidelis ille existimabat, vulnera Christi, aut non fuisse vera, sed ficta: aut si vera fuerunt: ex necessitate materiæ in corpore permanisse, ac si Christus illa curare non potuisset. Vnde Beda Luc. ultimo, his verbis proponit argumentationem infidelium, *Si Deus vester nec sibi infligita à Iudeis vulnera curare prauauit, quia temeritate putatis eum vestra depulvere membra ad integrum restauraturum?* Sed hæc obiectio nullius momenti est. Quis enim vel cogitare potest, eum, qui corpus mortuū viuificare potuit, non potuisse ipsius vulnera, cunctaque illorum vestigia, ac signa delere, si voluisset? Igitur quod in Christi corpore vulnera manserint, non necessitatis fuit sed voluntatis, ac gratuita dispensationis. Sicut enim quando, & quomodo voluit, ita etiam, quale voluit, corpus suum excitauit. Tradunt autem Pa-

Vti 2. tres

Augustin.

August.
D. Thom.

Sorus.

Prophy.
Obiectio.
August.

Beda.

Responsio.

Impressa
vulnerum
stigmata in
suo glorioso
corpore cur
Christus voluit.

tres varias rationes & causas ob quas in Christi corpore vulnerum stigmata relicta fuere. Quarum illa potissima sunt, quashic D. Thomas adduxit ex Beda, & Augustino citatis locis. Prima est, propter accidentalem gloriam corporis Christi, in quo vulnera manent in perpetuum victoria, triumphique insignie. Vnde colligit August. 22. de Civitate, capit. 29. & 22. in omnibus martyrum corporibus gloriosis futura esse quædam insignia, & vulnerum cicatrices, quæ pro Christo sustinuerunt cum magno decore, & accidentali gloria. Atque idem affirmat Ambros. li. 10. in Lucam. Et quamvis Cyril. Alexand. 12. in Ioan. c. 58. hoc negare videatur, tamen revera solum negat imperfectionem, & defectum, non victoriæ, & triumphique stigmata.

Secunda ratio est, mansisse hæc vulnera ad fidem confirmandam. In qua illud videtur difficile, quomodo eiusmodi vulnera potuerint esse accommodatum medium ad confirmandam veritatem resurrectionis. Nam potius videntur potuisse præbere occasionem dubitandi, non solum de potestate resurrectionis, & perfectione resurrectionis (ut Porphyrius dubitavit) sed etiam de illius veritate, quomodo scilicet vere esset vivum corpus, in quo talia vulnera, & præsertim apertio lateris apparerent. Respondetur, fuisse illa stigmata veræ resurrectionis signa. Quia aperte ostendebant, illud corpus, quod vivum videbatur, fuisse idem numero, quod in cruce pependerat. Vnde Leo Papa sermone primo de Resurrectione, Ideo (inquit) vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentissima passionis signa monstrabat, ut agnosceretur in eo proprietates divine humaneque nature individua permanere. Et Cyrillus Alexandrinus dicto cap. 16. dicit, Christum præter illud, quod verum conditio requirit, propter utilitatem nostram, passionis notas retinuisse, ut resurrectionis mysterium recte intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quam quod cruciatum mortuum fuit. Similia habet Damascen. libro 4. de fide, capit. 18. Augustin. Beda, & alij Patres supra citati.

Tertia causa afferretur, ut semper æterno Patri vulnera ostendat, quæ sumpta est ex Beda supra: & illustrari potest ex multis, quæ de oratione Christi in celo adduximus in priori tomo, disp. 45. sect. 2. Solum posset aliquis dubitare, quia æterno Patri semper sunt præsentia passionis vulnera, ac si nunc eodem modo durarent, quo tempore passionis fuerunt: ergo ad repræsentandam Dei Christi passionem, vel (ut ita dicam) ad eam in memoriam revocandam, non erant necessaria sensibilia signa passionis, neque ad hunc finem poterant esse vitia. Dicendum vero est, sine dubio hæc signa non esse in humanitate relicta, quia respectu Dei essent necessaria, vel vitia, ut passionem Christi, & merita in eius memoriam revocarent. Non enim indiget Deus sensibilibus signis, neque illis ad cognoscendum mouetur. Fuerunt tamen valde necessaria propter nos, ut intelligeremus Christum ingressum esse in celum, ut appareret vultui Dei pro nobis, id est (ut ait Cyprian. serm. de Baptis. Christi) ut semper reservata in corpore plaga salutis humane exigant pretium, & obedientia donantium requirant. Vel (ut exponit Anselmus) ut appareat præsentia, ac benevolentia Dei Patris, intercedens pro nobis, ostendens cicatrices vulnerum, quem pro nostra redemptione pertulit. Miro enim, & ineffabili ordine eum, qui nihil unquam potest oblivisi, qui semper misereri paratus est, abque intermissione Dominus Iesus admonet, quam congrue hominibus misereri debeat, pro quibus ipse conficiens mortis imperium moriendo prostravit.

Et hinc oritur quarta causa horum stigmatum, scilicet, ut ad spem, & fiduciam in Christum homines excitentur, & ad gratias illi agendas pro ineffabili redemptionis beneficio. Quæ omnia eleganter complexus est Ambros. supra citato loco, dicens: In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, A quod vulnera suscepta pro nobis, celo inferre maluit, ab eo lere noluit: ut Deo Patri nostra pretium libertatis ostenderet. Legendus etiam est Bernardus sermone. 61. in Cantica, ubi tractans, illa verba, cap. 2. Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea, in foraminibus petra, in caverna materia, per foramina petra (cum Gregor.) vulnera Christi intelligit, & hanc rationem late persequitur, & inter alia sic inquit: Ego vero fidenter, quod ex me tibi desit, usurpo tibi ex visceribus Domini, quoniam misericordia effusum: neque desunt foramina, per quæ effuant. Foderunt manus eius & pedes, latusque lancea forauerunt, & per has rimas licet tibi fugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Ecce infra, Columba mea in foraminibus petra, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, & in meditatione moretur in illis. Inde martyri tolerancia, inde illi magna fiducia apud Deum altissimum.

Ex quo Bernardi loco, & ex Gregor. Cantic. 2. circa eadem verba, quinta ratio deduci potest, nimirum conservasse Christum vulnerum insignia, ut sectatores eius in illum intuentes sua non sentiant vulnera, & exemplo capitis sui animum erigant, & ad similia mala pro Christo toleranda fortiores fiant.

Sexta & ultima ratio in superioribus indicata est, conservata nimirum fuisse hæc stigmata, ad confundendos Christi hostes in iudicii die. Quam, præter Aug. supra citatum, attigit Hippolytus martyr oratione de consummatione mundi. Qui addit, non solum quinque vulnera, sed etiam caput spinis redimitum, & pretiosam ipsam crucem esse in die iudicii conspicienda. Et Cæcilius Arelatensis hom. 23. Illa (inquit) clavorum signa bonis salutaria, malis terribilia, usque ad iudicii diem non desunt. Non quod postea delenda sint, non enim potest corpus Christi amplius immutari [ut hic etiam art. 4. ad 3. notat D. Thom. ex Greg. 14. moralium, cap. 31.] sed quod specialiter referuntur in diem iudicii, ad terrorem & confusionem malorum. Durabunt autem perpetuo ad bonorum consolationem, ac perpetuam Christi laudem, & gratiarum actionem.

SECTIO III.

Virum in corpore Christi post resurrectionem sint sanguis, & alij humores.

In hac sectione nonnulla sunt certa. Primum est, in corpore glorioso Christi esse sanguinem in ea quantitate, quam corpus humanum optime dispositum ad sui conservationem requirit. Hoc videtur de fide certum, & tractatur egregie ab Aug. Epist. 156 ad Consentium, qui hanc questionem ei proposuerat. F. d. (inquit) ad sit, & nulla questio remanebit. Potest etiam hæc veritas confirmari ex mysterio Eucharistiae. Nam ex vi verborum sanguis Christi consecratur, & per concomitantiam est sub speciebus panis propter realem, ac naturalem coniunctionem, quam habet cum corpore Christi vivo, ut fufius suo loco dicemus. Ratio vero est. Quia sanguis est de veritate, & integritate humani corporis (sicut latissime declaravimus in priori tom. disput. 15. sectione 6.) ubi omnia, quæ adduximus ad probandum, Verbum divinum assumpsisse sanguinem, cum factum est homo, pari modo conuincunt in sua [ut ita dicam] regeneratione habuisse etiam sanguinem, cum resurrexit homo. Quocirca, quamvis Christus, quando suum corpus palpiandum præbuit, tantum carnem, & ossa nominavit, dicens: Quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere, sanguinem non excludit, sed id fecit, vel quia hæc sunt, quæ manibus solent contrectari in humano corpore, vel certe, quia sub humana, ac viua carne sanguis solet comprehendi. Quia sanguine veluti temperatur, ac fouetur.

Secutus

Responsio.

Secundo, etiam hinc est certum, esse in corpore Christi glorioso tres alios humores, bilem atram, & flauam, atque pituitam, quatenus hi quoque ad constitutionem humanæ naturæ, humanasque operationes, & affectiones, & cōuenientem dispositionem, & temperiem corporis necessarij sunt. Quod etiam confirmari potest ex his, quæ de his humoribus diximus in prædicta disputatio. 15. prioris tomi Sect. 7. Denique propter hanc causam docent Theologi in 4. distin. 44. hos humores futuros esse in corporibus omnium resurgentium, vt late ibi D. Thom. quæst. 1. articulo 2. quæst. tertia, ergo idem dicendum est de Christi corpore. De alijs vero humoribus qui sunt in corpore humano solum ex actione nutritionis, vt ros, cambium, & similia, non est, quod quæstionem moueamus; hæc enim non pertinent ad integritatē humanæ naturæ, & ideo non fuerunt necessarij in corpore Christi glorioso. Sicut eandem ob causam non fuerunt assumpti à Verbo diuino, vt prædicto loco diximus.

2. Dubium.

His igitur constitutis, nonnulla supersunt expedienda dubia, quæ de omnibus humoribus disputari possent: explicabimus tamen ea in sanguine, tanquam in nobiliori, quæ alij comitari solent. Primum est, an Christus in resurrectione iterum sumperit in suo corpore sanguinē quem in passione fuderat. Caietan. hic ar. 2. distinguens duplicem sanguinem nutritiualem, & vitalem, dicit sumpsisse vitalem sanguinem non nutritiualem. Quia ille est per se requisitus in corpore humano ad eius integritatem: hic vero solum est necessarius in corpore passibili propter nutritionem. Cuius etiam sententiæ videtur esse Syluest. in rosa aurea, quæst. 31. Sed hæc distinctio duplicis sanguinis, vt ab his authoribus assignatur, reiecta à nobis est in dicta Disput. Sect. 6. tomo 1. & in præsentī quæstione non potest cōmode applicari, vt statim dicam. Quocirca aduertendum est in corpore Christi, quamdiu in vita mortali durauit, successiue magnam fuisse copiam sanguinis. Quia cōtinue nutriebatur, sanguinemque conuertebat in carnem, & alias partes corporis: cibos vero in sanguinem. Vnde fit: Christum non assumpsisse in resurrectione totam illam sanguinis copiam, quā successiue habuit in vita mortali. Tum quia ex illo sanguine perfecta corporis magnitudo coagmentata est. Tum etiam quia non est capax humanum corpus secundum cōuenientem dispositionem tantæ copię sanguinis. Sicut etiam non assumpsit Christus in resurrectione omnes partes materiæ, quæ per cōtinuam nutritionem successiue fuerunt in eius corpore. Quia tanta materiæ magnitudo simul sumpta superat debitam corporis humani magnitudinem ac proportionem. Sic igitur non assumpsit Christus totum sanguinem, quem successiue habuit: sed quem simul habere oportet corpus proportionatæ magnitudinis.

Responsio.

Hinc vero probabile fit, Christum in resurrectione resumpsisse totum sanguinem, quem in passione, à tempore, quo in hortu orauit, vsque ad vulnus lanceæ, effudit. Et hæc sententia sic explicata est, aperte D. Th. hic. a. 2. ad 3. & quodl. 5. ar. 5. & Innocentij li. 4. de mysterio Missæ capit. 30. Et probatur. Quia in primis totus ille sanguis simul fuit in corpore Christi in nocte cœnæ. Nam licet exiguo illo tempore, quo passio durauit, aliquis sanguis successiue generatus, transmutatusque sit per continuam nutritionem: tamen ille sine dubio fuit in parua quantitate, & ideo pro nihilo in præsentī existimatur, ergo tota illa copia sanguinis cōuenienter esse potuit in corpore glorioso. Quia corpus Christi ante passionem fuit debite temperatum, & compositum, ac perfecte sanum, habuit ergo sanguinem in debita, & proportionata quantitate, ergo tota illa potuit esse proportionata corpori glorioso. Dices, Corpus mortale maiori indiget sanguinis copia ob nutritionē. Re-

D. Thom.

Innoc. Pap.
Sanguinis
copia in cor-
pore Christi
glorioso
quanta.

Obiectio

A spondetur negando assumptum. Nam idem sanguis, qui deseruit nutritioni habet etiam alia munera per se necessaria corpori humano. Nam temperat illud, & in cōuenienti dispositione conseruat, &c. & contrario, idem sanguis, qui hæc præstat, deseruit nutritioni. Nam est materia, quam cætera membra proxime conuertunt in substantiam suam, non ergo est necessaria maior copia sanguinis propter nutritionem, sed plura officia eiusdē sanguinis: totus ergo sanguis, qui simul cōuenienter esse potuit in corpore passibili, potuit etiam in corpore impassibili cōuenienter assumi. Hinc vltius concluditur de facto resumptum esse, quia de facto solus ille sanguis perdurauit in esse, ac forma sanguinis, quādiu fuit in corpore Christi mortali, ergo reassumptus postea fuit in eodem esse, ac forma sanguinis. Nam (vt supra dictum est ex D. Thomæ doctrina) ad quandam perfectionem resurrectionis spectat, vt partes materiæ redeant in corpore glorioso ad easdem partes, sub quibus fuerant in corpore mortali. Deinde corpus Christi post mortem quoad partes solidas mansit omnino integrum absque vlla corruptione, vel resolutione, iuxta illud. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, ergo resurrexit cum eisdem partibus solidis, & ex eadem materia constitutis, ergo eodem modo resurrexit cum eodem sanguine, quem in fine vitæ habuerat, & effuderat. Præterea ille sanguis erat vnitus diuinitati, sicut aliæ partes corporis, & speciali modo fuit pretium redemptionis nostræ. Nam licet totus sanguis Christi hoc habuerit: tamen singulari modo conuenit sanguini effuso in passione, quia per illum consummata est redemptio. Et ideo speciali ratione decuit, illum perpetuo in corpore Christi seruari. Denique in nocte cœnæ Christus specialiter consecrauit totum illum sanguinem quem tunc habuit in corpore, ergo eundem omnino nos conficimus in Eucharistia, ergo idem etiam seruatur in corpore Christi glorioso. Neque in hoc est aliqua difficultas.

Tres alij hu-
mores in
corpore
Christi glo-
rioso.

D. Thomæ

E. sal. 11.

C Solum potest inquiri an illum tantum sanguinem Christus assumpserit in resurrectione, vel etiam alium. Ad quod solum possumus sub conditione respondere. Nam si ille sanguis fuit in quantitate sufficienti ad optimum temperamentum, ac dispositionem corporis humani, non oportuit alium assumi. Si vero illa quantitas non erat sufficiens, facile suppleri potuit ex aliqua alia materia, & maxime ex ea, quæ aliquando fuit sub forma sanguinis Christi. Est autem hoc posterius valde verisimile. Quia in corpore passibili sunt aliqua excrementa, ac fæces, aliaque huiusmodi, quæ non erunt in corpore glorioso, vnde oportet aliqua loca perfectissimo repleti sanguine, quæ prius alijs imperfectis humoribus imbuta erant. Vnde Diuus Thomas in 4. distin. 44. q. 1. articulo 2. quæst. 1. ad 2. dicit intestina futura esse in corporibus resurgentium non plena turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus: Non apparet autem, quæ futurae sint hæ humiditates, nisi purissimus sanguis, sub quo (vt supra admonui) alios humores comprehendendo. Quibus addi potest aer, qui (vt infra dicemus) magna ex parte concavas partes corporis gloriosi. Est ergo verisimile plus sanguinis esse in corpore Christi glorioso, quā simul aliquamdiu fuerat in corpore mortali, & consequenter plus sanguinis assumpsisse in resurrectione, quam in passione profudit. Hinc etiam fieri potuit, vt assumeret sanguinem in circumcisione effusum, quanquam id necessarium non sit. Potuit enim facile ex alia materia sanguis ille adiungi. Propter quam causam, licet quod diximus satis verisimile sit, non est tamen certum quoad omnes particulas, & guttas sanguinis in passione effusas. Fortasse enim aliqua assumptæ non fuerunt, sed aliunde ex alia materia suffectæ, sicut supra de præputio dicebamus, statimque dicemus.

Dubium

Responsio.

Corpora
gloriosa præ
excrementis
purissimis
imbutenda
substantiis
D. Thomæ

Dubium.

Sanguis à
Christo in
passione fu-
sus, Verbo
permanet
vnitus.
D. Thom.
Clem. 6. Pap.
Pius 2. Pap.
Syluest.
Domin. de
Dom.
6. Synod.

Secundum dubium est. Vtrum sanguis effusus à Christo in passione, manserit Verbo diuino vnitus. Supponimus enim quamdiu fuit in corpore Christi viuientis, fuisse immediate vnitum Verbo, vt late dictum est Disput. 15. prioris tomj, Sect. 6. Post effusionem vero, quidam Theologi negant sanguinem mansisse vnitum Verbo, quia aliqui concedendum esset, Verbum fuisse effusum, & conculcatum, & similia, ita sentit Mayron in 4. dist. 43. q. 1. Hoc vero dubium ex precedenti consequenter definiendum est, ac simpliciter asserendum, mansisse sanguinem illum vnitum Verbo, vt D. Thom. simpliciter docet in dicto quodlib. Quod definitum fuisse à Clemente 6. refertur in directorio Inquisitorum, 2. parte quæstion. 10. & à Pio 2. vt late Syluester refert in Rosa aurea, quæstione 30. & sequentibus, & Dominicus de Dominicijs in tractatu de sanguine Christi. Fauet sexta Synodus Acto. 16. vbi damnatur hæreticus, qui dicebat. Verbum in cruce exuisse carnem, & sanguinem. Et probatur, quia ille sanguis assumptus est, vt perpetuo maneret vnitus Verbo diuino: ergo nunquam fuit ab illo dimissus. Antecedens patet. Quia & ante mortem fuit assumptus à Verbo, & post resurrectionem fuit etiam vnitus, & nunc est, ac perpetuo erit. Consequentia vero probatur. Tum quia est eadem omnino ratio de sanguine, quæ de corpore, & anima, vt patet ex supradictis disputatione 3. sect. 2. scilicet, quia dona Dei sunt sine penitentia. Tum quia vnio Verbi ad sanguinem non pendebat ex corpore, vel anima, sicut neq. vnio ad corpus pendebat ex anima, vel sanguine, neque vnio ad animam, ex corpore, vel sanguine. Item quia ille sanguis pendebat ad integritatem humanæ naturæ, qua futura erat perpetuo vnita Verbo, ergo in illo etiam verum habuit illud axioma. *Quod Christus assumpsit, nunquam dimisit.* Præterea illa vnio hypostatica de se perpetua est, & indissolubilis, & futura erat in resurrectio Christi, sicut antea fuerat in vita mortali. Quorsum ergo per illud tempus dimitteretur? Et confirmatur, quia sanguis ille effusus à Christo, secundum se erat infiniti valoris, potestque dici pretium magnum, sicut à Petro vocatur: & de illo Ecclesia canit.

*Quem sacer cruor perunxit.
Tus agni corpore.*

Ergo etiam separatus retinuit vnionem ad Verbum, ratione cuius erat tantæ estimationis. Vnde Damasc. libr. 4. c. 12. dicit lignum crucis optimo iure adorari. Quia corporis, & sanguinis contactu fuit sanctificatum. Sentit ergo sanguinem iam effusum, adhærentemque ligno crucis ad hoc fuisse vnitum Dei Verbo. Denique si in triduo fieret consecratio, sanguis ille ex vi verborum esset sub speciebus vini, ergo esset per concomitantiam ibi diuinitas. Quia sicut caro Christi non est in sacramento, nisi vt caro viuificat, atq. adeo, vt caro Verbi (quemadmodum dixit Concilium Ephesinum in epist. ad Nestor.) ita ille sanguis esset viuificus, atq. adeo diuinus, & vnitus Verbo. Ad illas vero locutiones, *Verbum est effusum, siue conculcatum*, primum nihil habent absurdum, magis quam illæ, *Verbum est sepulcrum, crucifixum*. Deinde possunt negari, quia sanguis reputatur quasi pars quædam integralis, cum qua non fit communicatio idiomatum, sicut latius in superioribus dictum est.

Obiectio

Sed occurrit hoc loco difficultas. Quia sanguis ille effusus, corruptus est, & propriam formam sanguinis amisit: ergo dissoluta fuit vnio hypostatica Verbi ad sanguinem, ergo ille sanguis, prout mansit in triduo, non permansit vnitus. Antecedens in primis est certum in opinione eorum, qui existimant, sanguinem informari anima rationali: iuxta aliam vero, quæ illi tribuit propriam formam, probari potest. Quia ex natura rei huiusmodi forma pendet in conseruari ab anima, saltem per modum efficien-

tis, medio calore, & spiritibus vitalibus, & ideo post effusionem vel subito, vel paulo post corrumpitur ergo idem accidit sanguini Christi. Non enim oportet ponere miraculum sine fundamento. Respondetur in primis negari posse sanguinem illum fuisse corruptum, iuxta illud. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quod de toto Christi corpore dictum est. Et ratio reddi potest. Quia corruptio illius sanguinis non fuit necessaria ad veram Christi mortem, sed sola separatio animæ à corpore, quæ esse potuit, etiam si sanguis à corpore separatus in sua substantia integer permanserit, ergo talis corruptio non est facta. Patet consequentia, quia in Christo, & in omni parte ei⁹ diuinitati vnita, sola illa corruptio facta est, quæ ad veritatem mortis fuit necessaria. Erat enim incorruptio debita tali substantiæ ratione vnionis: sola vero mors assumpta est propter redemptionem. Neque fatiscit, quod ex morte, vel effusione ex natura rei futura esset talis corruptio. Quia diuinitus impediri potuit, ac debuit ratione vnionis. Sicut etiam, separata anima à corpore per quadraginta horas, ex natura rei futura erat vltior corruptio, & putrefactio corporis: & tamen non est sequuta propter vnionem. Et hæc sententia videtur mihi absolute probabilior, quam tenet Durand. in 4. d. 44. q. 2. m. 9. & Supplement. Gab. q. 1. ar. 3. dub. 6. Quamuis ad propositam difficultatem nihil referat. Vnde secundo responderi potest admittendo, seu potius permittendo assumptum. Quia non est contra incorruptionem de corpore Christi dictam illis verbis: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quod

sanguis amisit propriam, & quasi vitalem formam, siue illa sit anima rationalis, siue alia, dummodo non asseratur sanguinem illum aliam vltiorem resolutionem, seu transmutationem passum esse, sed incorruptum mansisse, quasi sub forma cadaueris sibi accommodata. Quidquid ergo de hoc sit, negatur simpliciter illatio argumenti. Solum enim sequitur illum sanguinem, sicut in substantia sua non mansit, ita non mansisse vnitum, quemadmodum vere dicitur, humanitatem in triduo non mansisse vnitam Verbo, quia neq. tunc simpliciter perseuerauit existens. At eo modo, quo ille sanguis mansit (vt ita dicam) mortuus, seu quasi cadauer sanguinis, ita mansit vnitus Verbo. Primo quidem ratione materiæ, quæ ex vi prioris vnionis potuit manere vnita Verbo, non obstante mutatione formæ, nam in hoc eodem est ratio de sanguine, & de alijs partibus corporis. Deinde ratione formæ, seu totius compositi, de quo idem dicendum est, quod de cadauere Christi supra diximus.

Alia difficultas in hac re superest, an prædicta assertio ita sit generaliter intelligenda, vt ne minimam quidē guttam sanguinis liceat excipere. Huius vero resolutio ex sequenti dubitatione pendet.

Tertio igitur dubitari potest, vtrum aliquis sanguis à Christo in passione profusus in terris manserit. Nam D. Thom. supra citatis locis simpliciter negat. Vnde ait illum sanguinem, qui in aliquibus locis seruari dicitur, vt Mantuæ, vel Romæ in Basilica Lateranensi, vel alibi, non esse ex vero sanguine à Christo effuso, sed ex quodam alio, qui manauit ex imagine Saluatoris, quæ sententia est Athanasij lib. de passione imaginis Domini, cap. 7. & ex Athanasio refertur in 7. Synodo, act. 4. eam quoque certam esse putat Turrecrem. in c. Inuitat. de consecrat. d. 2. ad eo vt oppositam censere esse erroneam: sed excessit in censura. Sumitur tamen ex Innocen. 3. citato dub. 1. huius sect. Aliorum vero opinio est, aliquam partem sanguinis effusi in passione, manere nunc in terris. Quia Pius II. in quadam extrauaganti data anno 1461. docuit non repugnare veritati fidei asserere, Christum reliquisse in terris aliquam partē sui sanguinis ad memoriam, & venerationem suæ passionis, vt referunt Syluest. supra, & Supplement. Gab. in 4. d.

Responsio.

Sanguis à
Christo in
passione fu-
sus in triduo
corruptione
expers.

Psal. 16.

3. Dubium.

D. Thom.

Athanas.
7. Synod.

Turrecrem.

Nun. su-

guis aliquis

à Christo in

passione fu-

sus, in terris

manserit.

Pius 2. Pap.

Syluest.

Supp. Gab.

4. d.

Niceph.
Responsio.

4. d. 44. quæst. 1. artic. 3. dub. 6. Et Nicephorus libr. 1. cap. 30. ait Beatam Virginem, & Ioan. Euangelistam sanguinem è latere Christi manante religioso, & honorifice vasculo excepisse. Refert item Syluester in Rosa aurea, tit. 2. concion. in serm. 5. octauæ Paschæ vidisse se in antro S. Mariæ Magdalene vitrum plenum terra rubei coloris, quod Magdalena iuxta crucem impleuerat ex terra quam Christus suo sanguine rigabat: vt erat traditio: imo aiebant in parascue solere illum sanguinem ebullire. Et ibidem refert Magdalenam aliquando apparuisse Carolo II. Regi Siciliæ: & locum vbi reliquias quasdam seruatas reliquerat Narbonæ, ostendisse: inter quas erat vasculum terra & sanguine Domini plenum, Platina in Leone III. refert illum Pontificem iussisse Mantuam, vt sanguinem Domini videret, qui tunc miraculis erat illustris, eumque vidisse, & approbasse. Et ita hanc partem tenet vt probabilem. Bonauentura in 4. distinctio. 12. dub. 2. circa liter. Magistri. Et dubium non est, quin fidei non repugnet: possitque non improbabiler sustineri, saltem de parua sanguinis quantitate. Simpliciter tamen sententia Diui Thomæ est verisimilior: nam in primis forma substantialis sanguinis non conseruatur in illa materia, quia neque habet naturales ac necessarias dispositiones & causas, neque oportet perpetuum fingere miraculum. Vnde si quis vellet defendere manere huiusmodi sanguinem, vt probabilius loqueretur, dicere deberet manere quoad materiam quasi sub forma cadaueris sanguinis. Sed præterea neque hoc videtur asserendum, quia totus sanguis effusus in passione erat necessarius in corpore Christi resurgenti, & alias non erat sufficiens necessitas relinquendi partem eius, eamque aliunde supplendi. Quæ ratio maxime probat de notabili sanguinis quantitate. Nam de vna, vel alia gutta minus esset incommodi, quod aliquid manserit adhærens spinis, clauis, lanceæ, sudario, &c. vt in aliquibus reliquiis nunc etiam ostendi videtur. Quanquam ille color, qui in eis apparet, fortasse non sit sanguis quoad substantiam: sed solum color aliquis ex sanguine relictus. Addendum autem (si verum est aliquid sanguinis Christi in terris manere) illud iam non esse vnitum hypostaticè Verbo Dei, sicut supra de præputio dicebamus. Quia ille sanguis iam non est pars humanitatis Christi, neque in actu, neque in potentia, quia nunquam amplius coniungendus est corpori Christi. Vnde fit, vt iam nullum habeat ordinem ad humanitatem, seu animam, ratione cuius corpus in triduo mansit vnitum Verbo, vt Theologi docent. Et è contrario partes materiæ, quæ per continuam nutritionem resoluebantur ex corpore Christi, & nunquam erant iterum corpori coniungendæ, dimittebantur à Verbo, quia amittebant omnem ordinem ad humanitatem. Ergo idem est dicendum de sanguine, si quis fortasse adhuc in Ecclesia permanet. Et confirmatur, nam vnio hypostatica integra, & perfecta tantum est vna, quæ est ad humanitatem, & partes eius: sed hæc perfecta est in humanitate Christi, & consequenter in anima, corpore, & sanguine, quibus illa humanitas constat, ergo nihil aliud est vnitum hypostaticè Verbo diuino. Neque contra hoc obstat illud axioma: Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Intelligendum est enim de natura per se primo assumpta, & de iis, quæ pertinent ad eius veritatem, & integritatem: non vero de singulis materialibus partibus, vt etiam in superioribus sæpe diximus.

Obiectio.

Pius.
Responsio.

Dices, Ergo ille sanguis non est à nobis adorandus. Quia solum adoratur ratione vniionis. Consequens repugnat vsui Ecclesiæ, & diffinitioni Pijsecundi loco supra citato. Respondetur negando sequelam. Quia adorari potest propter præcedentem vniionem, & veluti contactum ad Verbum, & propter contactum etiam ad carnem Christi.

A

Virum Christi corpus resurrexerit perfecta magnitudinis, ac pulchritudinis.

Hactenus diximus de integritate, & complemento omnium partium corporis, reliquum est, vt de magnitudine, quæ ex singulorum membrorum quantitate, & omnium coniunctione confurgit, dicamus.

Primo itaque certum est, resurrexisse Christum in iuuenili ætate, in qua mortuus fuit, atque adeo habuisse corpus vt minimum eiusdem magnitudinis, cuius ante mortem fuit. Hoc docuit Aug. 22. de Ciuitat. c. 15. vbi ait, Christum & in iuuenili ætate, & in ea mensura corporis, in qua est mortuus, resurrexisse. Vnde Petrus Chrysologus ser. 82. dicit, mulieres introeuntes monumentum vidisse iuuenem, in quo significata est resurrectionis ætas. Potest etiam ex Euangelio colligi, in quo significatur, idem corpus, quod iacebat in sepulcro cum omnibus suis membris, ac tota quantitate resurrexisse. Ratione denique probatur. Quia status gloriæ est status optimæ, & vltimæ perfectionis, ergo hæc perfectio maxime tribuenda est corpori Christi, ergo etiam in magnitudine habuit debitam perfectionem, quam habet corpus in iuuenili ætate, quando & ad terminum augmenti peruenit, & nondum cæpit decrescere. Et confirmatur. Nam propter hanc causam creditur Adam creatus perfectæ magnitudinis, & in ætate iuuenili, vt Theologi docent in 2. disp. 17. cum August. 6. Genes. ad litteram, cap. 13. Ergo multo magis idem dicendum est de corpore Christi resurgenti.

Christus in
iuuenili ætate
resurrexit.
August.
Pet. Chrys.

August.

Secundo hic etiam certum est, resurrexisse Christum in ea quantitate totius corporis, & singulorum membrorum, quam naturali virtute suæ animæ, & facultatis autricis in toto tempore vitæ potuit acquirere. Probatur, quia ea est perfecta quantitas vniuersi humani corporis. Sicut enim Philosophi dicunt, vnamquamque naturam viuientem terminari maximam quantitatem, in qua conuenienter conseruari potest, & cum maxima perfectione connaturali sibi in illo ordine, ita intelligendum est, respectu animæ Christi dari posse corpus certæ quantitatis maximæ, quod illa anima commodissime informare, & gubernare posset, & ad omnem actionem eius organis, ac partibus vti. Hæc igitur quantitas corporis maximæ respectu huius animæ, censenda est perfecta quantitas eius, quia corpus est propter animam: ergo illa magnitudo corporis, quæ est animæ maxime accommodata, est etiam maxime perfecta in corpore humano. Sed huiusmodi est prædicta quantitas in corpore Christi, nam est illi maxime proportionata, & quasi adæquata. Rursus verisimile est vim actiuam animæ, & facultatem eius ad augendum corpus, esse proportionatam, seu æqualem virtuti informatiue, nam vna est, propter alteram. Ideo enim anime data est vis ad augendum corpus suum, quia potens est, illud informare, & sicut naturaliter appetit informare corpus, ita etiam appetit corpus proportionatum, & adæquatū: & ideo data est illi virtus, qua possit reducere in actum perfectum, acquirendo perfectam sui corporis magnitudinem. Et è contrario sicut in virtute informandi habet terminū, quia est finitæ perfectionis naturalis, ita & in virtute augendi corpus suum, quia similiter quo ad hoc virtus eius est finita: ergo terminus, seu perfectū corpus respectu vtriusque virtutis anime idē est. Quia vtraque virtus anime realiter eadem est, & in eadē perfectione fundatur, & prout ratione distingui possunt, vna ad alterā ordinatur. Ergo respectu animæ Christi illud est corpus perfectæ magnitudinis, quod naturaliter acquiri poterat per continuū augmentum, & naturalem animæ virtutem ac facta.

Moles corporis
Christi
resurgenti,
quantæ.

eultatem: ergo tale corpus habuit corpus in resurrectione.

Ephes. 4.

Et iuxta hanc conclusionem intelligunt multi locum illum Pauli ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Nam licet in sensu literali sermo sit de perfectione spirituali (vt ex contextu plane constat, & omnes fere interpretantur) tamen metaphora sumpta est ex perfectione corporali. Dicitur enim corpus perfectum, seu ætatis plene, quod peruenit ad summum augmentum, quod in progressu ætatis potest acquirere. Et hinc multi sumserunt occasionem interpretandi, seu potius accommodandi hunc locum ad perfectam magnitudinem, & ætatem corporum resurgentium. Nam corpus Christi habet plenitudinem ætatis in sensu à nobis explicato, illudque cetera corpora gloriosa imitatura sunt. Et vtramque interpretationem attigit Aug. 22. de Ciuitat. c. 15. vbi consequenter asserit (quod nostram conclusionem confirmat) vnumquemque beatum habiturum eam quantitatis mensuram, quam in iuuentute habuit, vel habiturus esset, si viueret. Ex quo familia sumpsit Anselm. in elucidario, & super Paulum ad Ephes. 4. Et eodem modo exponit illum locum D. Thom. hic, quamuis priorem literalem intelligentiam non excludat. De ætate etiam, ac profectu corporali exposuit Gaudens in responsione ad Paulum Diaconum circa illa verba Christi. *Quia Pater maior me est.* Et eam sententiam tradunt Theologi in 4. disp. 44.

August.

Anselm. D. Thom.

Gaudens. Ioan. 14.

Dubium.

Ex his expeditur facile aliud dubium, quod hic oriri potest. An Christi corpus post resurrectionem fuerit eiusdem magnitudinis cum corpore mortali, vel maioris. Quod enim non fuerit minoris, necessario sequitur ex dictis, addendo, corpus Christi in hac vita non habuisse præternaturalem statum, vel augmentum vltra naturalem virtutem. Quod per se constat, præsertim cum nunquam vlla ægritudine laborauerit. An vero moles corporis resurgentis fuerit maior, videri potest dubium. Quia non constat, Christum in vita mortali cosequutum esse maximam corporis quantitatem, quam naturaliter acquirere posset. Nam licet tempus ætatis eius fuit ad hoc sufficiens (omnes enim tam Theologi, quam Philosophi terminum augmenti ad summum extendunt vsque ad trigesimum annum) tamen non semper in eo tempore acquirit aliquis summam quantitatem naturaliter possibilem. Possunt enim vel impedimenta occurrere, vel non applicari tanta materia, quanta ad plenum augmentum esset necessaria. Et hæc vltima causa potuit in Christo locum habere, quia ieiunijs corpus macerabat. Nihilominus Aug. Anselm. D. Tho. & alij existimant, corpus Christi in hac vita peruenisse ad perfectum suæ quantitatis augmentum, & ideo in resurrectione non maioris sed eiusdem magnitudinis fuisse. Et est hoc verisimilius, quia Christi corpus fuit optime temperatum, & semper perfecte sanum, & in ratione viuendi Christus fuit moderatissimus. Vnde licet abstineret à cibis, qui delicias afferrent: tamen credendum est illis vsum, qui & valetudini, & augmento corporis deseruirent. Quod si ob cibi parcitatem motus ægmenti remissior fuit, tamen tempus vite, ac ætatis fuit sufficiens, vt in eo posset ea tarditas compensari. Nam virtus, & facultas augmentatiua semper durauit in sua virtute & efficacia. Et ideo diuturniori tempore potuit persicere motum suum, si fortasse ob defectum materiæ in breuiori non potuit. Et hoc maxime videtur intelligendum quoad corporis staturam, & ossium, ac similibus partium magnitudinem, quæ sicut difficilius acquiritur, ita stabilius persenerat, & ex ea potissimum pendet totius corporis magnitudo. Alia enim quantitas, quæ corporis crassitie consistit, & facile acquiritur, & deperditur, deficere potuit aliqua ex parte in mortali corpore Christi: in corpore autem glorioso est

Responsio.
Magnitudo corporis Christi gloriæ eadem quæ in corpore mortali.
August.
Anselm.
D. Thom.

A in perfecta mensura, prout ad optimam corporis dispositionem, maximamque pulchritudinem conferre potest.

Vnde ex his etiam constat, Christi corpus in resurrectione fuisse eiusdem figuræ, ac formæ, cuius antea fuit. Nam hæc confurgit ex magnitudine, & figura singulorum membrorum, eorumque compositione: sed magnitudo fuit eadem (vt ostensum est) figura autem singulorum membrorum, eorumque compositio optima fuit in corpore Christi ab initio conceptionis suæ, vt late diximus in priori tomo, disput. 32. sect. 2. Et ex dictis eo loco constat, corpus Christi gloriosum esse pulcherrimum. Nam si hanc perfectionem habuit in corpore mortali (vt ibi ostendimus) multo magis in glorioso. In quo, sicut eandem formam habuit, ita & eundem natium colorem, qui ex eodem corporis temperamento nascitur. Quæ omnia in statu gloriæ sunt in summa perfectione naturali, quam habere possunt, & ex eis perfecta naturalis pulchritudo confurgit.

Vna vero superest dubitatio. Nam sequitur ex dictis, corpus Christi futurum esse maximum omnium, vel positine, vel saltem negatiue, vt scilicet, nullum sit maius illo. Consequens est falsum, teste August. loco supra citato. *Alias (inquit) peribit de mulierum corporibus plurimum: cum ipse nec capillum periturum esse promiserit.* Ac si diceret, plures Sanctos habuisse in hac vita corpora grandioris quantitatis, quam Christum, ergo etiam in patria excedent in quantitate corporum, quia non sunt illa priuadi. Prima vero sequela probatur. Quia anima Christi et in naturalibus est omnium perfectissima, ergo de se potens est ad informandum corpus maioris, aut saltem tantæ magnitudinis, quam quæuis alia anima. Atque eadem ratione habet tantam virtutem naturalem agendi corpus, quantum habet qualibet alia anima: ergo si habet maximum corpus sibi proportionatum, & suæ virtuti adæquatum, habebit etiam maximum corpus in tota specie humana. Respondetur idem argumentum fieri posse de corpore Christi mortali, quod scilicet in hac vita debuerit peruenire ad maius augmentum, quam omnia alia humana corpora: cum tamen certo constet, non ita fuisse. Quapropter necessario videtur dicendum ex maiori animæ perfectione, simpliciter non sequi, quod natura sua requirat maius corpus, sicut neque etiam sequitur quod requirat corpus robustius ac fortius. Non enim semper vires spirituales corporalibus commensurantur: perfectio autem animæ in ordine ad spirituales actus considerata est, & ideo tale corpus requirit, & suæ virtuti adæquatum, vt melius deseruire possit ad spirituales functiones. Hinc fit, vt licet anima sit perfectior: corpus tamen habeat ita dispositum, vt non possit ad tantam magnitudinem crescere, quantum alia humana corpora. Et ideo ad argumentum negatur sequela, quæ in rigore non est bona propter causam assignatam. Quamuis de corporibus aliorum beatorum controuersia sit, an sint futura æqualia, vel inæqualia corpori Christi, quam quætionem infra quætionem 56. attingimus.

Pulchritudo corporis Christi quanta.

Dubium.

August.

Moles corporis Christi gloriosius omnium maxima.

Responsio.

SECTIO V.

Vtrum in corpore Christi resurgentis fuerint omnes facultates animæ vegetantis.

Ratio dubij esse potest, quia actus huius animæ non erant futuri in Christo per resurrectionem. Nam in illud corpus etiam conuenit, quod Paul. dicit 1. Cor. 15. *seminatur corpus animale, surget autem spirituale: & quod Christus dixit Matth. 22. Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in celo.* Et patet, quia actus huius animæ non sunt sine materiali alteratione, & aliquali corruptione, vel aggeneratione par-

1. Cor. 15.

Matth. 22.

ne partiali: ergo, si actus non sunt futuri in eo corpore, non est cur in eo fuerint relictæ facultates. Nec defuerunt Catholici, qui hoc argumento adducti negauerunt has facultates manere in corporibus resurgentium: quod de corpore Christi idem consequenter dicere, necesse est. Eorum tamen sententiam falsam censeo, & improbabilem.

Primo igitur certum de fide est, fuisse in Christo omnes partes organicas corporis ad actiones vitæ vegetantis à natura destinatas. Hoc constat ex dictis supra de integritate corporis Christi resurgentis. Nā omnes ex partes organice substantiales sunt, & de integritate corporis humani. Et confirmatur. Nam ostendimus in superioribus ad perfectionem resurrectionis pertinere, vt singuli homines in proprio sexu resurgant: resurrexit ergo Christus in sexu virili, fuerunt igitur in eius corpore etiam partes illæ, quæ in corpore humano ignobiliores censentur: ergo multo magis reliquæ omnes. Quia licet videatur hæc membra ad inferiores quasdam actiones instituta, tamen per se pertinent ad perfectionem, ac debitam humani corporis compositionem.

Secundo certum etiam est, singulas harum partium ita fuisse dispositas, ac temperatas, prout ex natura sua requirunt. Hoc etiam est certum ex supra dictis. Quia diuersitas organorum in humano corpore ex ipsi variis dispositionibus singulorum membrorum cōsurgit, ergo tam est certum, singula membra habere suam debitam dispositionem, quam est certum, corpus gloriosum esse organicum, ac variis membris naturalibus constans. Hoc cutem de fide esse ostendimus in superioribus ex ipsius Christi verbis, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Item ex eo, quod ostendit discipulis manus, pedes, latus. Denique quia sententia Eutychetis, Origenis, & aliorum, negantium in corporibus resurgentium figuram, & organizationem corporis humani, vt hæretica explosa est in quinta synodo, vt Nicephorus refert libr. 17. historia cap. 28. & à Sanctis Patribus, vt videre licet apud Aug. 22. de ciuit. c. 23. & 1. Retract. c. 1. 2. & 3. & in Eucherid. c. 84. & sequentibus. Hier. in epitaphio Paulæ, seu epist. 27. & in epist. 61. ad Pammachium, de erroribus Ioannis Ierosol. & epist. 65. ad Pamach. & Oceanum, de erroribus Orige. & Greg. 14. Moral. c. 29. 30. & 31. & D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 84.

Tertio in his concludo, certum etiam esse in corpore Christi glorioso esse omnes facultates naturales anime vegetantis. Ita sentiunt omnes Theologi in 4. diff. 44. D. Thom. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 1. Durand. Suppl. Gab. Sotus, & alij. Ratione probatur primo, quia vel hæc facultates reipsa non distinguuntur ab organis corporis, quatenus animam, & debitum temperamentum includunt. Vel si quam aliam qualitatem addunt (vt verius est) illa naturali necessitate consequitur animam informantem organum debite dispositum. Sed respondere possent aduersarij, impeditas esse huiusmodi facultates per supernaturalia dona corporis gloriosi, vt verbi gratia per dotem impossibilitatis seclusam esse facultatem nutriendi, & generandi. Sed hoc fictitium est. & sine fundamento dictum. Primo, quia huiusmodi facultates non habent formalem impossibilitatem cum dote impossibilitatis. Quia non sunt facultates passivæ, sed activæ: non repugnat autem corpus impossibile habere facultates actiue. Secundo, quia potiori ratione dicendum esset dotem impossibilitatis formaliter repugnare temperamento primariū qualitatum. Quia quod corpus sit corruptibile, magis prouenit ab his qualitatibus, & necessitas alimentum vel omnino, vel magna ex parte protenit ex actione huius temperamenti, eiusque diuersitate in diuersis membris: & tamen per dotem impossibilitatis non spoliatur corpus hoc temperamento, sed afficitur noua perfectione impediante actionem quā-

litatum (vt infra dicitur) ergo idem dicendum est potius de facultatibus naturalibus vegetantis animæ. Tertio, quod cesset actio harum facultatum, nullum argumentum est facultates ipsas deesse. Nam (vt recte dixit D. Thom. loco supra citato) potentia non solum seruit ad exequendam operationem, sed etiam ad complementum, & perfectionem ipsius rei & ostensionem virtutis eius, & diuinæ sapientiæ, in condendo, seu reparando suo opere perfecto. Vnde egregie Tert. lib. de resur. car. c. 60. *Liberabuntur membra ab officiis: sed non ideo non erunt necessaria.* Et cetera, quæ late, & eleganter prosequitur: quibus familia habet Hieronymus dicta epistol. 61. Et declaratur exemplis. Primo in ipsis partibus organicis, quæ etiam sunt instrumenta operationum. Deinde in intellectu agente (si fortasse est res distincta à possibili) manet enim in anima separata, quamuis cesset eius actio. Ac tandem in ipso Christo, qui in vita mortali non caruit facultate generandi, quamuis actum non esset habiturus. Et idem est de facultate ridendi, si fortasse nunquam risit. Quarta, & vltima ratio sit, quia priuatio facultatis naturalis est perfectioni naturæ contraria, & constituit rem in statu præternaturali, & monstruoso, quod asserere de corpore Christi, absurdissimum est, & ideo contraria sententia temeraria videtur. Neque nouam obiectionem reperio, quæ in eius fauorem fieri possit, aut nostra explicatione indigeat.

Quarto addendum est, actiones harum facultatum nunquam fuisse in corpore Christi glorioso. Probatur, quia huiusmodi actiones supponunt corpus indigens alimento, atque adeo possibile, & alterabile. Quamuis enim actiones huius partis directe versentur circa alimentum, quod attrahitur, distribuitur, disponitur, atque conuertitur, tamen non sunt sine aliqua corporis alteratione, & mutatione propria corporis corruptibilis.

Vna tamen superest difficultas de actione comedendi. Hæc enim propria esse videtur animæ vegetantis, cum ad eius actionem vltimam ordinetur: & tamen hæc vere, ac proprie fuit in corpore Christi glorioso, iuxta illud Actor. 1. *Et conuiscens præcepit eis, ab Ierosolyma ne discederent.* Et Luc. & Ioann. vltimo, vbi refertur, comedisse cum discipulis. Quod autem vere comederit, probatur, tum ex proprietate verborum, quæ in historica præsertim narratione retinenda est, quantum fieri possit. Tum maxime, quia Christus illud exhibuit tanquam certum signum vitæ, quam per resurrectionem recuperauerat, vt tradunt Leo Papa serm. 1. de resurrectione cap. 3. Damascenus lib. 4. de fide capit. 1. August. lib. 3. de mirabilibus scripturæ capit. 14. Epistol. 49. & 13. de ciuit. capite 22. Chrysost. homil. 86. in Ioan. Amb. & Beda Luc. vltimo, Gregor. homil. 29. in Euangelia, & D. Thom. quæst. sequenti art. 6.

In hac difficultate duo sunt extrema vitanda. Primum est eorum, qui putarunt, Christum post resurrectionem ita vere comedisse, vt cibum in substantiam sui corporis conuerteret. Ita Durand. in tertia distinctione 22. quæst. 6. ad 2. vbi comparans Angelum comedentem in corpore assumpto cum Christo comedente in corpore glorioso, dicit, in illo non fieri digestionem, & conuersionem cibi in corpus assumptum, vt tamquam vero factam esse in Christo. Clarius in 4. distinct. 11. quæst. 4. dicens, alimentum vere esse conuersum in corpus Christi, & alias non posse esse veram comestionem, nec verum argumentum veritatis carnis. In eadem sententia est Vvaldensis tom. de sacrament. cap. 71. qui differt à Durando, quia existimat hanc conuersionem factam esse per modum cuiusdam transubstantiationis: Durandus vero ponit veram conuersionem formalem, manente eadem materia cibi cum corpore Christi. Tamen sententia Durandi erronea mihi videtur. Nam (vt recte dixit Greg. li. 14. Moral. c. 31.) si post resurrectionem aliquid

Tertul.

Hieronym.

Obiectio.

Act. 1.
Luc. 24.
Ioan. 21.Leo Papa
Damasc.
August.
Chrysost.
Ambros.
Beda.
Gregor.
D. Thom.

Durand.

Vvaldensis
Christus
comestum
post resurre-
ctionem ci-
um in sub-
stantiam
sui corporis
non conuer-
tit.
Greg. PapaOrgana ad
actiones vi-
tae vegetantis
ordinata in
Christo re-
surgente
omnia.

Luc. 24.

Ioan. 20.
9. Synodus.

Niceph.

August.
Hieronym.Greg. Pap.
D. Thom.
Potentia ve-
getantis in
corpore
Christi glo-
rioso omnes.
D. Thom.
Durand.
Suppl. Gab.
Sotus.

aliquid in corpore Christi potuit immutari, non re-
surrexit corpus Christi impassibile, & immortale.
Oportuit enim per additionem materiæ augeri, &
aliquid de quantitate eius immutari, ut posset cum
adueniente continuari. Vnde vel resurrexit imper-
fectum, vel postea monstrum effectum est. Opinio
autem V. Valdensis in primis impertinens. Quia ille
modus miraculosæ conuersionis, nihil refert ad ve-
ritatem comestionis, ergo superflue, & sine funda-
mento fingitur. Præterea, cum re vera in corpore
Christi, nulla sit facta mutatio substantialis, nec no-
ua dependetia, aut præsentia, non potest fingi trans-
substantiatio cibi in ipsam.

Alterum extremum est aliorum, qui dicunt illam
non fuisse veram comestionem, sed apparentem,
qualis est Angelica in corporibus assumptis. Hoc
enim exemplo utitur Augustinus locis citatis, præ-
sertim in illo de Mirabilibus scripturæ. Sed hoc enim
simpliciter loquendo, verum non est propter ratio-
nem factam, scilicet, quia alias illa comestio non
fuisse verum, ac sufficiens viæ signum.

*Derationis
comestionis
quid sit.*

In primis ergo dicendum est, non esse de ratione
veræ comestionis, ut cibis digeratur, vel conuer-
tatur in substantiam comedentis. Nam hoc esset,
comestionem cum nutritione confundere, cum ta-
men nutritio sit quid posterius, ut separari possit à
vera comestione, quæ antecedit. Vere enim dicitur
homo comedisse cibum, etiam si paulo post illum
eiciat integrum, atque immutatum. Solum ergo est
de ratione veræ comestionis, ut per vitalem actio-
nem, & organa vitæ cibis ore sumptis, in stomachum
traiciatur. Quod totum fieri potest in corpore glo-
rioso, quia nullam alterationem inquirat: sed solam
motionem localem, quæ corpori glorioso non re-
pugnat. Neque oportet admodum inquirere, quo-
modo corpus Christi cibum illum eiecit, si in pro-
prium substantiam non conuertit. Nam (ut omittam,
potuisse illum subito consumere, vel in præiacen-
tem materiam resolvere) dici etiam potest, cum
Christo corpus esset gloriosum, per dotem subtilita-
tis potuisse facere, ut in stomacho non detineretur,
sed absque vlla resistantia corporis gloriosi in alium
locum pro Christi voluntate, arbitrioque transfiret.
Vnde fit, esse differentiam inter hanc Christi come-
stionem, & Angelicam in corpore assumpto. Nam licet
in exteriori motione locali cōueniant (reuera enim
Angelus per corpus assumptum atterit, & diuidit
cibum, illumque id interiora transmittit) tamen illa
actio Angelicæ, ut est à corpore, non est actio vitæ, ne-
que ex virtute propriæ formæ talis corporis: & ideo
non est vera comestio veritate rei, seu speciei, licet
sit vera veritate significationis, ut dixit D. Thomas
hic artic. 3. ad tertium, & 1. par. quæst. 51. artic. 3. ad
quintum, & clarius quod 3. art. 5. Tandem ad diffi-
cultatem propositam ex dictis etiam patet respon-
sio. Nam comestio proprie non est actus animæ ve-
getantis, sed potius sentientis, & loco motiæ. Est
enim quasi applicatio quædam materiæ, in quam
possit in virtutem suam exercere facultas nutritiua:
& ideo fieri potest in corpore glorioso non ex indi-
gentia, sed ex potestate, ut recte Augustinus & Beda
docuerunt.

*Differentia
inter come-
stionem an-
gelicam, & cor-
poris Christi
gloriosi.*

D. Thom.

*August.
Beda.*

SECTIO VI.

*Virum in corpore Christi glorioso fuerint omnes fa-
cultates animæ sentientis, & actiones earum.*

In his facultatibus tria possunt considerari, orga-
na scilicet, potentia & actus. Primo igitur de or-
ganis nihil est quod addamus præter dicta in præ-
cedenti sectione, & in locis ibi citatis. Constat enim,
omnia hæc organa, & eorum varietatem, fuisse ne-
cessaria ad integritatem, & perfectionem illius cor-
poris.

Secundo de potentiis sentientibus eadem ratio est,
quæ de vegetatiuis, & multo maior. Quia & habent
eandem connexionem naturalem, & necessariam
cum forma humana informandæ organa disposita,
& non impedita, & perfectiores sunt, minusque re-
pugnant perfectioni corporis gloriosi. Certum ergo
est, has omnes potentias esse in corpore Christi, ne-
que circa hoc aliquid addendum occurrit iis, quæ
præcedenti sectione dicta sunt.

Tertio de actibus perspicuum est, posse Christum
exercere actus aliquos animæ sentientis. Quod in ge-
nere de Beatis docent Theologi in 4. distin. 44. & à
fortiori certius est de corpore Christi, quod est pri-
mum exemplar, & mensura omnium Beatorum.
Qua ratione in tota hac materia præ oculis habenda
est. Probatur autem ratione assertio posita. Quia hi
actus, cum sint immanentes, perfectionem afferunt,
& aliunde non requirunt semper materialem ali-
quam alterationem, neque indecentiam illi statui
repugnantem. Ergo non repugnant illi statui, sed
potius ex se maxime decet. Neque est, cur omnes
illæ facultates sint otiosæ, & imperfectæ, cum sint ca-
paces suæ ultimæ perfectionis, quæ in actu secundo
consistit, & status ille ordinatur ad obtinendam vl-
timam perfectionem in omnibus, quoad fieri pos-
sit. In quo est magna differentia inter has potentias,
& animæ vegetantis. Quia actiones vegetatiuæ par-
tis non sunt proprie immanentes: sed transeuntes,
& ita per se non pertinent ad intrinsecam perfectio-
nem suarum potentialium, sed ex accidenti, ut vi-
uens conservari possit. Vnde fit, ut sint imperfectæ
simpliciter, cum sine alteratione materiali non ex-
erceatur. Secus vero est in potentiis sentientibus, ut di-
ximus. Et hæc assertio inductione facta in singulis
potentiis euidentius constat.

Quarto igitur certissimum etiam est, actus inté-
rioris sensus, vel appetitus sentientis habere locum in
corpore Christi glorioso. Primo, quia in hoc gradu
hi sunt perfectiores. Secundo, quia sensus interior
non indiget actuali immutatione ab obiecto suo, sed
potest species conservare, & in absentia etiam obie-
cti operari absque vlla alteratione. Tertio actus ap-
petitus, præsertim amor, & voluptas, si circa obie-
cta honesta versentur, perfecti sunt, & valde con-
uenientes humanæ naturæ. Vnde Gregor. Nazianz.
orat. 10. in laudem Cæsarii fratris agens de anima

Beata eiusque voluptate, subdit. Cum cognatam car-
nem receperit, eam quoque ad glorie caelestis hereditatem se-
cum admittit, & quemadmodum ob naturæ coniunctionem
arummarum ipsius participis fuerat: sic etiam succunditates
suas cum ipsa communicabat, totum videlicet corpus in se
ipsam assumens. Quæ fere verba reculit Anastasius Ni-
cenus lib. quæst. sacra Scripturæ, quæst. 87. & similia
habet Ansel. lib. de similitudinibus cap. 57. Addo ve-
ro, quâvis hi affectus in nobis fiant cum aliqua cor-
poris alteratione, tamen in illo corpore glorioso,
ubi anima perfecte dominabitur, nullam fore ne-
cessariam alterationem. Quod si oportuit, fieri mo-
tionem aliquam vel spirituum vitalium, vel san-
guinis, aut alterius humoris, ea fieri sine alteratione
propria cum sola locali mutatione. Sunt ergo actus
harum potentialium in corpore glorioso, non qui-
dem omnes illi, qui possunt esse in iis potentiis: ali-
qui enim includunt malum aliquod, vel carentiam
boni convenientis, ut sunt tristitia, dolor, turpis vo-
luptas, & similes: sed ij tantum qui decentes sunt, &
consentanei gloriæ, ac statui Beatorum. An vero ij
actus possint versari aliquo modo circa Deum, & ef-
fere supernaturales in substantiam, vel tantum in mo-
do, quæstiones sunt communes corpori glorioso,
& mortali: & ideo non sunt tractandæ hoc loco, sed
in prima secundæ attigimus autem illas in priori
tomo.

Quinto hinc etiam est certum, actum potentia
loco motiæ conuenire corpori Christi glorioso.
Quod

*Potentia
sentientia in
corpore
Christi glo-
rioso omnes.*

*Sentientia
aliqua in
corpore glo-
rioso exer-
cere Chri-
stus potest.*

*Actus sensus
interioris, &
appetitus in
corpore
Christi glo-
rioso locum
habent.*

Greg. Naz.

*Ana Nicæ
Anselm.*

*Motus pro-
gressuum in
corpore
Christi glo-
rioso.*

Quod in Euangelio habemus expressum. Sapient enim de Christo post resurrectionem dicitur, ambulasse, ingressum esse, & similia; quæ motum localem etiam progressuum significant. Ratio vero est, quia hic motus oritur ex appetitu, & phantasia, si organa corporis sint disposita, sed ostensum est in Christo esse actus appetitus, & phantasie, & corporis organa esse integra & disposita. Neque obstat, quod potuerit corpus Christi moveri alio supernaturali modo per dotem agilitatis (ut infra videbimus) scilicet, vel transeundo ab extremo, ad extremum sine medio, vel transeundo per medium, non motu progressivo, sed veluti simplici impetu, ut quando ascendit in cælum: nihil, inquam, hoc obstat, nam potestas supernaturalis non excludit naturalem, & usus illius non est necessarius, sed voluntarius, & ideo potuit Christus utraque uti suo arbitrio. Decuit autem, ut interdum vteretur virtute motiua naturali ad veram resurrectionem ostendendam. Existimari enim posset phantasma, si semper supernaturali modo appareret, ac moueretur.

Sexto hinc etiam fit, actum loquendi interdum fuisse in corpore Christi glorioso. Hinc enim licet aliquo modo sit ab anima rationali, ut à principali motore ac gubernatore, proxime tamen tribuitur animæ sensitivæ quatenus proxime procedit ab appetitu, & phantasia per organa corporis. De hoc ergo actu etiam habemus expressa testimonia in omnibus ultimis capitibus Euangeliorum: quæ intelligenda sunt, de vera locutione propter ea, quæ adduximus de vera comestione. Vnde eadem est ratio huius assertionis, quæ præcedentis. Quia vera locutio ex parte animæ procedit ex apprehensione, & appetitu: ex parte vero corporis, requirit vitalia organa ad usum loquendi accommodata, ac disposita, sed hæc omnia sunt in corpore Christi glorioso: ergo.

Obiectio.

Responsio.

Erit in gloriosis corporibus vox & laus divina, etiam corporalis.

Psalm. 149.

Arnob.
August.

Basil.
Theod. r.

Greg. Pap.
Iob. 8.

Dices ad locutionem etiam requiri aerem, ut eo percusso sonus efformetur: sed hic non est in corpore Christi glorioso: ergo neque potest esse sonus, aut vox. Respondetur in primis, hanc difficultatem non habere locum in Christo, quamdiu in terra post resurrectionem cõversatus est, de quo tempore Euangelia loquuntur: tunc enim eodem modo poterat aerem emittere, & attrahere, sicut & nos. Quia ex parte corporis eius erat eadem facultas, & virtus actiua: & ex parte aeris eadem propinquitas, & dispositio. Procedit ergo difficultas posita in corpore Christi existente supra cælum, ubi aere non circumdatur. Neque enim negandum est, quin ibi etiam vocem formare possit, esset enim magna imperfectio corporum beatorum, si non possent inuicem loqui, & conuersari, & non solum mente, sed etiam voce Deum laudare, iuxta illud Psalm. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exultationes Dei in faucibus eorum.* Ita enim legunt Hebræa & Græca; ita quoque legit Arnobius, & legisse videtur Augustinus, qui ea verba interpretatur de Sanctis, qui non sibi placent, nec sibi tribuunt, quod boni sint: sed illum laudant, à quo acceperunt, quod sunt, quod in sæculo inchoatur: consummatur autem in beatitudine. Eundem etiam sensum reddere potest communionis lectio. *Exultationes Dei in faucibus eorum.* Proprie enim exultationes Dei, dicuntur, quæ sunt à Deo, & quæ ex illius amore, ac laude oriuntur, & hæc dicuntur esse in faucibus, quando ita cor in Deo exultat, ut fauces ac linguam in Dei laudem moueat. Vnde Basil. exponens hæc verba. *Exultationes (inquit) hic hymnodias, & psalmodias dicit, & Theodoretus, Sancti in gloria divina beneficia prædicant horum causam celebrantes.* Et eodem modo exponit Greg. lib. 3. Moral. cap. 31. illa verba Iob. 8. *Donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo.* Bene (inquit) os risu impletur, & labia iubilo, quia in illa æterna patria, cum iustorum mens in exultationem rapitur, lingua in censum laudis eleuatur. Et Irenæus lib. 5. contra hæres. cap. 8. tractans illa verba ad Rom. 8. *In quo clamamus Abba, Pater, Si pignus (inquit) habentes clamamus Abba Pater, quid fiet, quando resurgentes à facie ad faciem videbimus eum? Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint?* Quæ verba usurpauit etiam August. lib. 22. de Ciuitat. 30. Erit ergo in gloriosis corporibus vox, & diuina laus, etiã sensibilis: multo ergo magis in corpore Christi. Neque obstat difficultas posita. Quia (ut notauit D. Thom. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & in 4. d. 44. q. 2. art. 1. qu. 4.) ad formandam vocem non est necessarius externus aer, qui trahatur, vel expellatur: sed sufficit internus, qui est in humano corpore. Huiusmodi enim aer (ut supra diximus) etiam est in corpore glorioso in pulmone, & in aliis interioribus partibus corporis, quæ neque alio corpore replentur, neque vacuæ esse debent. Potest ergo Beatus formare vocem mittendo aerem per asperam arteriam usque ad os, ibique lingua, labiis, & aliis organis illum refragendo in palato. Dices quomodo potest solo aere in corpore incluso vox formari? Oportebit enim aliquid locum interiorum partium corporis vacuum relinquere, dum aer ad formandam vocem impellitur. Responderi potest ex D. Thom. supra ad reformationem vocis non esse necessariam expulsionem & attractionem aeris. Cuius signum est, quia dum homo respirat, non potest vocem formare. Sed licet verum sit, non esse necessariam aeris expulsionem extra os, neque attractiones aeris extrinseci; tamen intelligi non potest, quod fiat sonus, & vox, quin aer impellatur, & repercutiatur: non potest autem aer impelli quin aliunde expellatur, quia impulsus ille fit per motum localem. Dicendum igitur est, expelli quidem aerem aliquibus partibus interioribus corporis: illas tamen non manere vacuas, quia statim illic succedit alius aer existens in partibus propinquis, vel per rarefactionem, quæ non videtur repugnare aeri, etiam si sit intra corpus gloriosum: quia non est pars eius: vel certe per solum motum localem, & quasi circulum quandam totius aeris exeuntis, & subintrantis secundum diuersas partes suas in diuersas partes corporis. Quod facile intelligi potest in corpore glorioso: tunc propter subtilitatem eius, vnde fit, ut aer, qui est in illo, facile possit quaslibet partes eius penetrare. Tum etiam propter perfectum dominium, quod habet anima supra corpus gloriosum, & omnia, quæ in illo sunt. Ex quo etiam prouenit, ut licet impellat aerem usque ad os & labia: ita tamen illum continuat, ut non permittat extra corpus egredi, nisi quantum necesse est ad formandam vocem. Et ideo quod ab vna parte expellitur, alia via reuertitur. Vnde potest semper formari vox, quamuis nec foras aer propellatur, neque partes aliquæ vacuæ relinquuntur. Et hic modus est sufficiens, quod attinet ad vocis formationem. Nam quod alij dicunt, in corpore celesti posse formari vocem, impellendo, & attrahendo illud, mihi non probatur. Tum quia, neque consentaneum est naturæ incorruptibili cæli, neque humano corpori accommodatum. Tum etiam, quia corpus Christi non est intra cælum neque penetratiue, neque circumdatum illo, sicut nos sumus in aere: sed est supra cælum, ut statim dicam tractando, quomodo hæc vox possit audiri. Aliud enim est formari, aliud audiri, & hæcenus solum explicatum est, quomodo formetur, quomodo autem audiatur statim dicam.

næus lib. 5. contra hæres. cap. 8. tractans illa verba ad Rom. 8. *In quo clamamus Abba, Pater, Si pignus (inquit) habentes clamamus Abba Pater, quid fiet, quando resurgentes à facie ad faciem videbimus eum? Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint?* Quæ verba usurpauit etiam August. lib. 22. de Ciuitat. 30. Erit ergo in gloriosis corporibus vox, & diuina laus, etiã sensibilis: multo ergo magis in corpore Christi.

Neque obstat difficultas posita. Quia (ut notauit D. Thom. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & in 4. d. 44. q. 2. art. 1. qu. 4.) ad formandam vocem non est necessarius externus aer, qui trahatur, vel expellatur: sed sufficit internus, qui est in humano corpore. Huiusmodi enim aer (ut supra diximus) etiam est in corpore glorioso in pulmone, & in aliis interioribus partibus corporis, quæ neque alio corpore replentur, neque vacuæ esse debent. Potest ergo Beatus formare vocem mittendo aerem per asperam arteriam usque ad os, ibique lingua, labiis, & aliis organis illum refragendo in palato. Dices quomodo potest solo aere in corpore incluso vox formari? Oportebit enim aliquid locum interiorum partium corporis vacuum relinquere, dum aer ad formandam vocem impellitur. Responderi potest ex D. Thom. supra ad reformationem vocis non esse necessariam expulsionem & attractionem aeris. Cuius signum est, quia dum homo respirat, non potest vocem formare. Sed licet verum sit, non esse necessariam aeris expulsionem extra os, neque attractiones aeris extrinseci; tamen intelligi non potest, quod fiat sonus, & vox, quin aer impellatur, & repercutiatur: non potest autem aer impelli quin aliunde expellatur, quia impulsus ille fit per motum localem. Dicendum igitur est, expelli quidem aerem aliquibus partibus interioribus corporis: illas tamen non manere vacuas, quia statim illic succedit alius aer existens in partibus propinquis, vel per rarefactionem, quæ non videtur repugnare aeri, etiam si sit intra corpus gloriosum: quia non est pars eius: vel certe per solum motum localem, & quasi circulum quandam totius aeris exeuntis, & subintrantis secundum diuersas partes suas in diuersas partes corporis. Quod facile intelligi potest in corpore glorioso: tunc propter subtilitatem eius, vnde fit, ut aer, qui est in illo, facile possit quaslibet partes eius penetrare. Tum etiam propter perfectum dominium, quod habet anima supra corpus gloriosum, & omnia, quæ in illo sunt. Ex quo etiam prouenit, ut licet impellat aerem usque ad os & labia: ita tamen illum continuat, ut non permittat extra corpus egredi, nisi quantum necesse est ad formandam vocem. Et ideo quod ab vna parte expellitur, alia via reuertitur. Vnde potest semper formari vox, quamuis nec foras aer propellatur, neque partes aliquæ vacuæ relinquuntur. Et hic modus est sufficiens, quod attinet ad vocis formationem. Nam quod alij dicunt, in corpore celesti posse formari vocem, impellendo, & attrahendo illud, mihi non probatur. Tum quia, neque consentaneum est naturæ incorruptibili cæli, neque humano corpori accommodatum. Tum etiam, quia corpus Christi non est intra cælum neque penetratiue, neque circumdatum illo, sicut nos sumus in aere: sed est supra cælum, ut statim dicam tractando, quomodo hæc vox possit audiri. Aliud enim est formari, aliud audiri, & hæcenus solum explicatum est, quomodo formetur, quomodo autem audiatur statim dicam.

Septimo dicendum est, actus omnium sensuum in corpore Christi glorioso locum habere. Hæc assertio colligitur ex D. Thom. in 4. distinct. 44. q. 2. art. 2. q. 3. & 4. & Scotus d. 49. q. 14. ad 2. & Maior. q. 14. & fere ex aliis Theologis iis locis, paucis exceptis, qui loquuntur in communi de Beatis. Potest autem conclusio in primis intelligi de corpore Christi, quamdiu post resurrectionem inter homines versatus est, vel prout nunc in cælo existit. Rursus de utroque

Irenæus.
Rom. 8.

August.

D. Thom.
Formatio
vocis, & lo
quela à cor
poribus bea
torum in
cælo fieri
quomodo
possit.

Obiectio

D. Thom.

Responsio.

Sonus, &
vox formati
à corporibus
gloriosis sine
aeris impuls
sione, & re
percussione
non possit.

D. Thom.
Scotus.
Maior.
Corpus
Christi glo
riosum
actum visio
nis exercere
potest.

Xx

que

Fr. Suarez, tom. 2.

que tempore est certior in aliquibus sensibus, quam in aliis. Primo igitur de visu est res certissima, & de tempore ante ascensionem constat aperte ex historia Evangelica. Post ascensionem in cœlum facile etiam intelligitur, corpus illud posse videre seipsum. Est enim perlucidum, & transparent (ut infra dicemus) est ergo de se visibile, & potest immutare sensum actione perfectiva absque alteratione materiali, vel corruptibili. Hic enim sensus inter omnes perfectiori modo immutatur, & operatur: unde eius actus valde perfectus est, & corpori incorruptibili accommodatus. Solum de externis obiectis potest esse nonnulla difficultas, quomodo possint videri à Christo, quando ab eo distant, cum non sit interiectum medium, per quod possint species deferri. Neque enim dici potest deferri per corpus cœleste, loquor enim de corporibus, quæ sunt extra cœlum, v. g. de corpore B. Virginis, & si qua sunt alia supra conuexum cœli existentia, quæ poterunt esse realiter distantia inter se, quamvis inter ea aliquod corpus non sit interiectum, & tamen sine dubio videre se possunt, ut eleganter docet Greg. libr. 18. Moral. cap. 27. alias 31. Vbi non solum dicit, posse vnum Beatum videre alium quoad externum vultum: sed etiam totam corporis harmoniam vsque ad ipsa viscera, & cor. Quod significat etiam Aug. 22. de Ciuit. c. 40. & Chrysost. epist. 5. ad Theodorum lapsum circa medium, idque explicat exemplo transfigurationis Domini, vbi Apostoli Christi corpus viderunt in gloriæ splendore diuina virtute confortati. Nam splendor illè, inquit, prout est, videri non potest, nisi ab oculo immortalis, & incorruptibilis, qualis erit in corporibus beatis. Denique in hac visione, prout ad Christi corpus terminatur, præcipuam corporis beatitudinem consistere docuerunt Cyprian. serm. de natiuitate Christi. August. in manuali c. 26. & lib. de spiritu & anima cap. 4.

Obiectio

Greg.

August.
Chrysostom.Cyprian.
August.

Responso.
Quomodo
in oculis
beatorum
p. oculi
species
sensibiles
ab obiectis
distantibus
possint sine
medio.

1. Cor. 13.

Obiectio.

Responso.
Scotus.

Sed quomodo, & quo medio recipiet tunc visus species? Nam obiectum visibile per lineam rectam mittit species ad oculum: at vero per lineam rectam inter obiectum, & oculum nullum est corpus nec cœleste, nec æereum. Dicit potest, species illas multiplicari per vacuum. Sed non recte, oportet enim creari & per se existere, quæ sunt miracula non necessaria. Facilius igitur dicitur, obiectum immediate agere in sensum distantem, producendo in illo species, siue id faciat naturali virtute (ut aliqui existimant) siue diuina. Est enim hic modus immutandi potentiam consentaneus corpori glorioso, quod spirituale à Paulo vocatur. Vnde, sicut vnus spiritus loquitur cum altero, manifestando suum conceptum, & illius speciem imprimendo absque impedimento distantie, ita illa corpora gloriosa participant hanc efficaciam. Ex quo inferant aliqui, posse corpus gloriosum (quantum in se est) immutare visum, atque adeo videri ad quamcunque distantiam. Quia si diuina virtute eleuatur ad agendum sine dependentia à medio, eadem ratione poterit eleuari ad agendum sine dependentia à propinquitate, vel distantia. Quod in spirituali etiam immutatione, quæ fit in locutione Angelorum, reperiri multi existimant. Et saltem de corpore Christi mihi non est dubium, quin habeat hanc efficaciam, quatenus est obiectum visibile.

Dices, Ergo eadem ratione poterit oculus Christi, vel alterius Beati videre quodlibet obiectum visibile, quantumvis distans. Habebit enim potentiam visiuam perfectissimam, & organum optime dispositum. Respondetur ita aliquos sentire, & significat Scotus in 4. dist. 50. art. 6. Sed cum ad videndum non solum requiratur perfectio potentie, sed etiam species visibiles, quæ imprimenda est ab obiecto, hoc non potest sufficere fundamento affirmari. Quia obiecta visibilia quæ nunc sunt in terra, non possunt imprimere species sui in oculis Christi, aut B. Virginis naturali virtute, ut per se constat. Quod autem di-

uinitus eleuentur ad imprimendas illas, aut quod Deus supernaturaliter illas infundat, aut det virtutem supernaturalem Beato ad videndum sine speciebus quodcunque obiectum, vbiunque sit, nulla ratione fit satis verisimile, si generaliter de omnibus Beatis sit sermo. Quia licet illa omnia sint possibilia, non tamen pertinent ad Beatorum statum, nec est perfectio beatitudini eorum debita. De Christo autem Domino, propter singularem quandam omnipotentie participationem, quam habet humanitas eius, ut est instrumentum coniunctum Verbi, probabile est posse videre etiam oculis corporeis quodcunque obiectum visibile, vbiunque sit, non per speciem acceptam ab obiecto, seu per efficientiam obiecti: sed per efficaciam ipsius Christi, quia hæc virtus non est in obiecto, sed in Christo, qui hoc potest facere, vel supernaturaliter efficiendo visionem sine specie. Nulla enim est in hoc repugnancia, ut exijs, quæ traduntur in prima parte suppono.

Secundo probatur, & declaratur conclusio posita in auditu. De quo, sicut & de voce immerito dubius fuit Bona. in 4. dist. 49. art. 3. q. 1. agens in genere de corporibus gloriosis in cœlo existentibus. Mihi tamen res videtur satis certa. Nam de auditu eadem fere oratio est, quæ de visu. Nam etiam hic sensus tantum requirit intentionalem immutationem, eiusque operatio est valde perfecta, pertinet quodammodo ad perfectum usum rationalis vite, in quantum signa aliorum conceptus representantia hoc sensu percipiuntur. Propter quod vocatur sensus discipline. Et confirmatur. Nam delectatio auditus suauissima, & perfectissima, & quodammodo spiritalis, & maxime decens statum Beatorum. Denique quamdiu Christus post resurrectionem cum hominibus conuersatus est, plane constat ex Euangelio, sicut vere loquebatur, ita vere, & proprie aliorum voces audiuisse. Nam hoc etiam fuit vnum ex testimonijis veræ resurrectionis. At vero post Ascensionem in cœlum, licet Euangelium nihil dicat: tamen certum etiam est, ibi posse non solum Christum, verum etiam alios Beatos exercere hunc actum. Superuacanea enim esset ibi vox, si non posset esse auditus. Et ita Sancti supra citati vtrumque simul affirmant, & ex eisdem scripturis colligunt.

Occurrit autem hic specialis difficultas similis illi, quæ de visu tractata est. Nam, licet ibi sit obiectum auditus, vox & facultas, deest tamen medium, per quod deferatur sonus, quia nullus est aer extrinsecus inter corpora Beatorum interiectus. Quam difficultatem attigit D. Thom. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. & dupliciter respondet. Primo, deferri vocem aut auditum per contractionem, & commotionem cœli empyrei. Quæ responsio mihi nec satisfacit, nec necessaria videtur. Ratio prioris partis est, quia suppono corpus Christi, & aliorum Beatorum esse supra conuexum cœli empyrei: multum ergo distantes, & auditus Beati à superficie cœli empyrei, quomodo ergo potest moueri, vel confringi lingua, & voce Beati? Quod si quis contendat corpora Beata non esse hoc modo supra cœlum empyreum, sed intra illud: In primis hoc est contra ipsum D. Thomam, ut infra videbimus. Deinde, licet concedamus, aliquando posse corpus Beatum esse hoc modo intra cœlum, quis autem negabit posse suo arbitrio ascendere supra conuexum vltimi cœli, & ibi loqui, & audire. Præterea, etiam dum corpus Beatum est intra cœlum, non est necessaria illa commotio, & contractio cœli empyrei, nec consentanea natura eius. Non enim est minus perfectum, quam alij cœli, qui solidiores esse videntur, quam ut possint tam facile confringi, & commoueri. Quod vero non sit necessaria, patet. Quia nec ad formandam vocem (ut supra ostensum est) nec ad deferendas species intentionales: quia hæc deferri possunt sine reali sono, atque

Potentia
sua Christi
ad quodlibet
obiectum
quantumvis
distans ex-
tenditur.

Bonauent.
Beati in cœlo
audire
possunt.

Obiectio.

D. Thom.

*D. Thom.
Species soni
sine medio
ad aures
beatorum
in celo de-
ferri quomo-
do possint.*

adeo sine reali commotione medij. Hæc igitur est secunda responsio D. Thomæ, scilicet, species soni deferri secundum esse spirituale tantum, & ideo non esse necessariam commotionem medij. Sed adhuc superest difficultas, quia saltem est necessarium medium, quod nullum est, quando corpora Beatorum sunt supra cælum. Responderi tamen potest, nunquam corpora beata ita esse supra cælum, quin aliqua ex parte contingant cælum, & ideo illo mediâte posse species soni ad auditum deferri. In hoc enim differt sonus à luce, vel colore, quod non necessario multiplicat species per lineam rectam, sed quacunque alia ratione. Et hic modus non est impossibilis. Secundo vero, & facilius respondetur (sicut de visu diximus) posse Beatum imprimere speciem suâ vocis in auditum distantem immediate, nihil operando circa medium, ubi eadem proportionem applicari possunt omnia, quæ de visu diximus. Hinc vero colligi potest, quamvis possit Christus in cælo habere actum huius sensus: non tamen esse necessarium, ut semper sit in aliquo actu eius, nec determinatè, nec vagè, cum non sit necesse, ut vel ipse, vel alij semper loquantur, aut canant. Nel tamen idem omnino est de sensu visus. Quia obiecta visus non pendent ex aliqua actuali actione libera: sed sunt res permanentes, & stabiles, quæ semper sunt sufficienter applicatæ, vnde ex parte obiectorum semper esse potest actualis visio, quamvis ex libertate Beati id non sit simpliciter necessarium. Est autem verisimiliter semper esse in aliquo actu videndi, aut ipsum corpus Christi, aut alia beatitudinis consortia.

*Bonaurent.
Beati in celo
olfactum
exercere
possunt.*

Tertio de odoratu, Bonaurentura supra negat, esse in corpore glorioso actum eius sensus. Sed non video quo fundamento. Est enim res perfacilis, applicando omnia, quæ diximus. Nam etiam operatio huius sensus exerceri potest sine alteratione materiali corporis sentientis, & alioqui obiectum non deerit etiam in cælo. Cur enim odorum suauitas ibi deficiet? Vnde in lib. de Spiritu, & anima, c. 58. Augustinus seu auctor eius, loquens de Beato ait: *Nec dici potest quantam habeat in gustu voluptatem, quantam in sapore iucunditatem, quantam in odore suauitatem. Verum est, sensum ab Augustino intentum magis videri metaphoricum, quam proprium: utroque tamen modo vera est sententia, quam statim aliorum Patrum testimonio confirmabo. Quin potius (ut verisimile censeo) ipsa etiam Beatorum corpora suauissimum odorem emittent. Habebunt enim intestina plena humoribus, & aere, optimis qualitibus, & odoriferis affectis. Hæc enim perfectio maxime decet illum statum, sicut è contrario corpora damnatorum erunt foetida. Neque in explicando modo, quo huiusmodi obiectum immutabit olfactum, occurrit noua aliqua difficultas. Solum posset quis obijcere. Quia operatio huius sensus non videtur admodum necessaria in corpore immortalis, cum ex natura sua non sit ita spiritalis sicut operatio visus, & auditus, neque ordinetur ad perfectionem animæ secundum se, sed ad conseruationem vitæ. Propter quod in brutis hic sensus maxime viget, ergo ubi non erit vita animalis, non erit necessaria operatio eius. Respondetur, in his actibus non tantum esse considerandam vtilitatem ad alios fines extrinsecos: sed perfectionem, quam per se afferunt. Si enim ex se decens est, & alias non repugnat corpori incorruptibili, etiam illi non sit necessaria ad eius conseruationem, vel alios fines, propter ipsam naturæ perfectionem expeti potest. Maxime quia hoc actu excitari solet animus ad Dei laudem, & internam deuotionem, quæ vtilitas esse poterit in Beatis, quamvis ea simpliciter non indigeant. Et hinc tandem colligitur potuisse Christum illis quadraginta diebus ante ascensionem exercere actum huius sensus circa hæc inferiora corpora odorifera, quia erant obiecta proportionata, & immutare olfactum possunt sine*

Fr. Suarez, tom. 2.

August.

Obiectio.

Responsio.

A materiali alteratione. Tamen propter excellentiam corporis beati, & perfectum dominium, quod in suas actiones habet, non exercebat hunc actum, nisi circa perfecta obiecta, & decentia, neque ab aliis speciebus accipiebat.

Quarto de gustu, & tactu maior est difficultas, cum hi sensus non videantur sine alteratione materiali immutari. Nihilominus probabilius est: etiam corpore glorioso sensus habere actus suos in corpore glorioso. Quæ est aperta sententia Anselmi, libro de similitudinibus cap. 57. ubi cum dixisset, *Totos Beatos inenarrabili suauitatis abundantia esse replendos*, subdit. *Quid dixit totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, &c. mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebantur.*

Et Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione monast. conuers. cap. 23. *Caro* (inquit) *spiritualis effecta per omnes sensus suos multimodis exuberabit dilectus delectabitur oculus in amabilis Redemptoris aspectu, cum videbit Regem in decore suo gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit cum mater sua. Melodica cantica ciuium superiorum non mediocriter mulcebunt auditum: flagrans quoque suauitas celestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum: indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam, & iucunda societate oris saginabit palatum: ipse demum tactus sibi congruis abundabit delitiis, quas experti narrant. Fas etenim non est, ut in celorum gloria quidquam vacet à Dei laude: quin potius iustum, ut cuncta corporis membra suum proprio modo esserant conditorem, quatenus, sicut ab ipso sumptere principium, ita & in illo deducant suam beatitudinis finem, ut Deus sit omnia in omnibus. Idem colligi potest ex Prospero libro primo de vita contempl. cap. 4. ubi dicit, omnia bona, quæ in humana natura peccatum corruerat, reparanda esse in melius, id est, intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine peruagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo. Ex quorum Patrum verbis, ac sententiis variæ etiam coniecturæ colligi possunt, quæ generaliter probant de omnibus sensibus. Solum super, ut ostendamus in his duobus, scilicet gustu, & tactu nihil esse speciale, propter quod eorum actus corpori glorioso repugnent. Nam in primis non est repugnantia ex parte materialis immutationis seu alterationis. Quia hæc non est per se necessaria ad actus horum sensuum. Nam licet naturaliter sit semper coniuncta cum intentionali immutatione: tamen re ipsa est diuersa, vnde facile possunt separari in subiecto, quod est capax vnius, & non alterius, quale est corpus gloriosum. Nam si calor, & species intentionales caloris sunt qualitates realiter distinctæ, cur non poterit corpus gloriosum alteram sine altera recipere? Quandoquidem est capax vnius, & non alterius, & illæ non habent ordinem inter se, sed tantum concomitantiam respectu corporis passibilis. Et quoad hoc eadem ratio est de gustu. Deinde quod non desit obiectum, in tactu quidem est manifestum. Nam in primis Christus ante Ascensionem dicebat, *Palpate, & videte*, sic-*

ut ergo ipse tangebatur, & tactu percipiebatur, ita etiam & tangebatur: poterat ergo, illa corpora tactu percipere, utpote obiecta tangibilia: & ex alio capite non est repugnantia, ut ostensum est. Post Ascensionem vero similis ratio locum habet. Nam etiam corpora gloriosa poterunt se tangere: poterit ergo vnum optimam dispositionem alterius percipere. Magna enim imperfectio videretur, si illa corpora se tangendo, nihil sentirent, ac si essent inanimata. De gustu vero (si loquamur de Christo; eo tempore, quo cum Apostolis versabatur, & cibum sumpsit) nullum est incommodum, quod sicut tunc vere comedeat, ita etiam vere perciperet cibi saporem, & gustum, absque alteratione materiali, vel alia imperfectione beatitudini repugnante. Si autem sit sermo de tempore post Ascensionem, difficilius

est, ut ergo ipse tangebatur, & tactu percipiebatur, ita etiam & tangebatur: poterat ergo, illa corpora tactu percipere, utpote obiecta tangibilia: & ex alio capite non est repugnantia, ut ostensum est. Post Ascensionem vero similis ratio locum habet. Nam etiam corpora gloriosa poterunt se tangere: poterit ergo vnum optimam dispositionem alterius percipere. Magna enim imperfectio videretur, si illa corpora se tangendo, nihil sentirent, ac si essent inanimata. De gustu vero (si loquamur de Christo; eo tempore, quo cum Apostolis versabatur, & cibum sumpsit) nullum est incommodum, quod sicut tunc vere comedeat, ita etiam vere perciperet cibi saporem, & gustum, absque alteratione materiali, vel alia imperfectione beatitudini repugnante. Si autem sit sermo de tempore post Ascensionem, difficilius

XX 2 est,

Gustum, & tactum in corpore glorioso sensus percipere possunt.

Laurent. Iust.

Prosper.

Lus 141

Bonauent. Bonaventura supra, hunc actum negat esse in Beatis. Sed non est Deo difficile, facere, ut aliquis sapiens humor sit intra organum gustus, qui sensum illum possit intentionaliter afficere, ut D. Thomas dixit.

Obiectio. Dices, Ergo esse poterit in corpore glorioso delectatio ex tactu & gustu proueniens: consequens autem videtur inconueniens. Quia huiusmodi delectatio indecens esse videtur, nec est finis actionis rectæ. sed potius est propter actionem, ibi autem talis delectatio, non est necessaria propter aliquam actionem, neque propter se est expetenda, quia hoc non est rationi consentaneum. Vnde D. Thom. quarto contra Gentes cap. 83. simili fere discursu concludit, in corporibus gloriosis non esse futuras delectationes venereorum, & omnes rationes, quas ibi adducit, & que videntur procedere de omni delectatione tactus, & gustus. Respondetur delectationes horum sensuum honestissimas, ac decentissimas non repugnare corpori glorioso, neque esse præter rationem, sed potius admodum rationi consentaneas, quia non propter se expetuntur: sed ut omnibus modis magis glorificetur Deus, ut recte Laurentius Iustinianus loco supra citato indicauit. De quibus etiam intelligi possunt, quæ ex Nazianzeno, & Anastasio supra retulimus, & quod nomine Augustini dicitur libr. de spiritu & anima capit. 64. Ibi erunt bona corporis, & anime, qualia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit. Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? Ibi est, quid quid amatis: ibi est, quid quid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol: si quelibet munda voluptas, torrente voluptatis deitatis sua potabit eos Dominus. Quæ fere verba transcripsit Ansel in prologo cap. 25. Vnde in lib. de similitudinibus cap. 48. 55. & 57. pulchritudinem, & voluptatem corporis ponit inter partes beatitudinis quando talia sunt, ut in eis, vel ex eis nulla Dei offensio contrahi possit. Denique potest hoc à contrario confirmari. Nam damnati post resurrectionem sensu tactus percipient sensibilem ignem, ex quo, dolore sensibili afficientur, ergo corpus gloriosum multo magis percipere poterit aliquod obiectum, quod purissimam aliquam voluptatem parere possit. Si enim in damnato omnes sensus pœna torquentur: cur non magis in beato voluptate perfundentur? D. Thom. igitur dicto lib. 4. contra Gentes: loquitur de materialibus delectationibus ciborum, aut venereorum, quæ vel non decent, vel non spectant ad statum beatorum. Vltimo ex his constat, esse in corpore Christi glorioso spiritus vitales, & animales. Quia hi necessarij sunt ad operationes sensuum, & vitales motus exercendos. Erunt autem hi spiritus in corpore glorioso incorruptibiles, ut patebit ex disputatione sequenti. Quia in illis corporibus non est futura alteratio, item ergo spiritus semper permanebunt, & per diuersas corporis partes virtute animæ vltro, citroque discurrent.

DISPUTATIO XLVIII.

In quinque Sectiones distributa.

De supernaturali perfectione corporis Christi post resurrectionem.

IN superiori disputatione explicuimus naturalem perfectionem, quæ Christi corpus habet in gloria, & obiter attigimus nonnullas perfectiones supernaturales, præsertim exiis, quæ pertinent ad actus secundos sensuum externorum, vel internorum, quæ ad animam potius spectant. Quamuis quia per corpus exercentur, simul cum facultatibus corporis computentur, & explicantur. Superest igitur, ut dicamus de perfectionibus super-

naturalibus, quæ sunt in corpore Christi per modum actus primi, seu bonæ dispositionis superantis naturam, seu per modum aptitudinis ad motum aliquem corporis, vel modum aliquem existendi, vel agendi corporis supernaturalis. In qua re primum inquirendum in communi est, an data sit corpori Christi huiusmodi perfectio. Deinde in particulari qualis, & quoruplex sit. De qua tractare solent Theologi 4. d. 44. & 49. nos autem hoc loco eam expediendam censuimus. Primo, quia non est in animo post tractatum de sacramentis instituere disputationem de quatuor nouissimis, quam Theologi in fine Quarti tractare solent. Quia omnia, quæ in eo loci dicuntur, pertinent vel ad materiam de beatitudine, vel ad materiam de pœnis peccatorum, quæ sufficienter in 1. p. & in 1. 2. traduntur. Præterea, quæ de purgatorio, & suffragiis mortuorum in 4. tomo huius 3. p. dicta nobis sunt, & quæ in fine huius de secundo Christi adueni ad iudicium differemus. Deinde, quia corpus Christi Domini gloriosum primum exemplar est omnium perfectionum, quæ si in ipso recte explicantur, facile poterunt cæteris omnibus accommodari.

SECTIO I.

Utrum corpus Christi post resurrectionem, aliquam supernaturalem perfectionem, seu dispositionem habuerit.

QUOD resurgentium corpora futura sint altiori, ac perfectiori modo perfectæ, ac disposita, quam sint hæc nostra, tam fuit semper constans, ut inde sumplerint aliqui hæretici occasionem negandi veritatem materialium corporum in hominibus resurgentibus, ut Euthychius, qui (ut refert Greg. 24. Moral. c. 29.) negauit, corpus humanum post resurrectionem futurum esse carneum, & ante ipsum Origenes, ut refert Epiphanius, ex Methodio hæresi 64. & in epistola ad Ioannem Ierofolymitanum, quæ est 60. inter epistolas Hieronymi, & Hierony. epist. 61. aduersus eundem Ioannem, & Ilidorus libr. de doctrina & fide cap. 6. & Theophyl. 1. ad Corinth. 15. Qui sumplerunt occasionem errandi ex quibusdam locis Pauli præuē intellectis, ut est illud. *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale*: & illud, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: quæ in superioribus tractata sunt, & in sequentibus ad veritatem Catholicam confirmandam illis vtetur. Addit etiam potest ratio in horum fauorem, quia non potest, seruata corporis natura, conditiones naturæ contrarias idem corpus suscipere: sed corpus gloriosum ita erit supernaturaliter perfectum, ut habeat conditiones contrarias nostro corpori, quales sunt esse spirituale esse incorruptibile, esse perspicuum, esse penetrabile, & similes, erit ergo alterius naturæ. Non constat autem, an isti hæretici posuerint hanc corporis diuersitatem in ipsa materia, ut scilicet putauerint, corpus Christi post resurrectionem non habuisse substantiam suam ex materia hac generabilem, & corruptibilem: sed ex alia cœlesti, aut certe ex nulla materia, quæ propria quantitati subiaceat. An vero forum in accidentibus, & dispositionibus materialibus hanc diuersitatem constituerint: hoc (inquam) mihi non constat, neque ipsi fortasse explicauerunt, aut intellexerunt.

Alij vero hæretici, ut veram corporis naturam post resurrectionem seruandam esse tuerentur, nullam aliam perfectionem quam omnino materiale, & naturalem ibi tribuebat, neque aliud felicitatis, aut voluptatis genus, quam quod ex rebus corruptibilibus, earumque naturali vfu, & alteratione consurgit. Ita refert Dionysius c. 7. Eccles. Hierar. par. 1. eundemque errorem tribuit Cherintho Dionysius Alexand. apud Eusebium lib. 3. Histor. capit. 22. aia. Nicephor. libr. 3. capit. 14. & August. hæresi 8. & August. Ildot.

Isidor. libr. de doctrina, & fide c. 24. Posset etiam re-
cenferi hoc loco error Chilianorum, distinguen-
tium duplicem resurrectionem, primam per mille
annos duraturam in terrenis, ac temporalibus vo-
luptatibus, quibus Sancti cum Christo gaudebunt,
postquam futura sit alia celestior, atque diuini-
perpetuo duratura. Nā ex hoc errore sequitur, cor-
pus Christi adhuc esse in priori dispositione imper-
fecta, quasi expectans tempus illud primæ resurre-
ctionis. Sed non est huius loci hæc persequi, tractan-
da enim sunt disp. 50. sect. 8.

Donā super
naturalia
corporis
Christi re-
surgenti
qualia
Matth. 22.

Dicendum ergo est, corpus Christi Domini in re-
surrectione sua ornatum fuisse variis donis, & qua-
litatebus supernaturalibus, præfertim illis quatuor,
quæ ab omnibus Catholicis agnoscuntur, claritate,
impasibilitate, agilitate, & corporis subtilitate. Hæc
assertio est certa secundum fidem, quæ in primis in
genere probari potest illis verbis Christi. In resurre-
ctione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli
Dei in celo. Quibus quoque consentanea sunt illa
Pauli. Seminatur corpus animale, surget autem spirituale.
Huiusmodi enim condito non est corpori hominis
naturalis: est ergo habiturum hoc corpus statum
aliū, ac perfectionem, naturam superantem.
Supponimus autem, quidquid perfectionis in scri-
ptura dicitur de corporibus resurgentium, maxime
in Christi corpore verificandam iri. Nam summa laus
aliorum corporum est, quod sint reformanda, & con-
figuranda corpori claritatis Christi, ut dicitur ad Philip-
pens.

Dos clarita-
tis in corpo-
ribus beato-
rum.

1 Cor. 15.
Philip. 3.

Secundo figillatim colliguntur hæc proprietates
ex scriptura. Nam de claritate sunt expressa prædi-
cta verba Pauli ad Philip. 3. Reformatur corpus humili-
tatis nostræ configuratum corpori claritatis sue. Quam cla-
ritatem, nomine gloriæ, intelligitur significasse Paul.
1. ad Corint. 5. cum dixit, seminatur in ignobilitate, sur-
get in gloria. Nam de hac gloria præmiserat idem A-
postolus. Alia quidem celestium corporum gloria: alia
terrestrium: alia claritas solis, alia claritas lune: alia cla-
ritas stellarum. Stella enim differt ab stella in claritate, sic
& resurrectio mortuorum. Tribuit ergo Paulus clarita-
tem corporis resurgentium, diversam tamen, pro
diversitate meritorum, & operum. Vnde eleganter
August. epist. 146. ad Consentium, tractans illa verba
Pauli. Seminatur corpus animale, surget spirituale (in-
quit) In his verbis Apostoli, nunquid fas est putare, melius
corpora nostra resurrectura, quam Christi, cum de illo sit
propositum exemplum, quod fideliter intendere, & per eius
gratiam sperare debeamus? Et cætera quæ eleganter pro-
sequitur August. seu author libr. de cognitione veræ
vitæ ca. 46. Vbi de eadem claritate intelligens verba
Christi Matth. 13. Fulgebunt iusti, sicut sol, inquit, quo-
modo Paulus eos stellis comparat. Et respondet,
quemlibet, vel minimum beatum fore lucidum ve
solem, Paulum vero ad eorum varios gradus expli-
candos usum fuisse comparatione stellarum. Quia
in hac claritate tantum quisque ab alio pro meritis differt,
quantum stella ab stella: corpus autem Christi tantum in
hac claritate omnia excelsit, quantum creator creaturas
excellit. Eundem locum tractans August. serm. 134. de
tempore. Videtis (inquit) quia promissa est Sanctiorum
corporibus claritas & diversa species claritatis, quia diver-
sa sunt merita charitatis. Et eodem modo intellexit
hunc locum Hieron. Amos 5. & Theodor. 1. ad Co-
rint. 15. & ibi Ambros. & optime Ansel. His vero re-
surrectionis adiungi potest, illud Daniel. 12. Multi de iis
qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alij in vitam
æternam, & alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint,
fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui ad iusti-
tiam erudiunt multos, tanquam stelle in perpetuas æterni-
tatis. Nam hoc loco sermo est de splendore, & cla-
ritate corporum, in qua dicit Daniel fore diversam
resurrectionem bonorum à malorum resurrectione,
ut ibi notant expostores, & Hieron. epist. 103.
ad Paulinum, & Clemens lib. 1. constit. cap. 6. alias 8.
Fr. Suarez. tom. 2.

Claritas in
corpore
Christi glo-
riosa quanta

August.

Hieron.
Theod. r.
Ambros.
Anselm.
Dan. 12.

Hieron.
Clem. Pap.

A Rufinus in expositione Symboli, & Fulgentius li-
bro responsionum ad obiectiones Arianorum vbi
de eadem claritate explicat illud Psalmi, In splendori-
bus Sanctorum, &c.

Ruffin.
Fulgentius.
Psalm.

Deinde de impassibilitate, & immortalitate va-
ria sunt, atque expressa scripturæ testimonia. Nam
in primis de Christo dixit Paul. ad Rom. 8. Christus
resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non
dominabitur. Quibus verbis docuit, ad vitam im-
mortalem resurrexisse. Et idem Christus de se dixit
Luc. 24. Nonne oportuit pati Christum, & resurgere à
mortuis, & ita intrare in gloriam suam? quæ æterna lan-
ne & immortalis est. Vnde generaliter de omnibus
dixit Christus Matth. 25. Surget in vitam æternam. Et

Dos impos-
sibilitatis in
corpore
Christi glo-
rioso.
Rom. 6.

Luc. 24.

B ideo vniuersaliter ait Paul. Seminatur in corruptione,
surget in incorruptione: & infra, Caro, & sanguis regnum
Dei possidere non possunt. Et explicans quid nomine car-
nis & sanguinis intelligat, subdit. Neque corruptio incor-
ruptionem possidebit, ut nō intelligatur excludi à regno
Dei substantia carnis, & sanguinis: sed mortalitas.
Quapropter subdit inferius, Oportet, corruptibile hoc
induere corruptionem, & mortale hoc induere immorta-
litatem. Quod autem hæc immortalitas futura sit
cum omnimoda impassibilitate, optime explicuit
Ioann. Apoc. 7. dicens. Non esurient, neque sitient am-
plius, nec cader super illos sol, neque ullus estus. Quoniam
agnus, qui in medio throni est, reget illos. Et cap. 22. Abs-
terget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra
non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra,
quæ prima abierunt. Quæ omnia fere eisdem verbis
promiserat Deus per Isaiam cap. 25. & 49. vbi no-
tarunt Cyril. Hieronym. Theodoretus.

Matth. 25.

2 Cor. 15.

Isaia 25.

Cyril.

Hieron.

Theodor.

Præterea de agilitate sunt etiam non obscura scri-
pturæ testimonia. Paulus enim 1. ad Corint. 15. ait. Se-
minatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur cor-
pus animale, surget spirituale. Et ex utroque verbo po-
test colligi hæc agilitas. Nam sicut spiritus facillime
ab vno alium locum transiit: ita & spirituale cor-
pus. Quod propterea etiam dici potest, surget in vir-
tute, quæ sine vlla difficultate, aut defatigatione pos-
sit, quo voluerit, semovere. De quo recte intelli-
gitur illud Isai. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt for-
titudinem, assumunt pennas, sicut aquile, current, & non
laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Quamuis e-
nim hæc verba de tempore huius vitæ suo modo in-
telligi possint, optime vero de corporibus resurgen-
tium explicantur ab Aug. epist. 79. ad Isychium, & Augustin.
Hilario Psalm. 138. circa illa verba, si sumptero pennas.
meas diluculo, quæ de Christo intelligit. Qui cum sum-
psit pennas suas in resurrectione, iam corpore non graua-
tur: & infra dicit, pennas hæc pertinere ad demutatio-
nem terrenorum corporum in spirituales naturam: & po-
stea subdit. Meminit & alibi dicens, cum de spiritualium
indefinita iam eternitate tractaret, pennigerabunt tanquam
aquile, naturam euolandi in celum in resurrectionis demu-
tatione sumpturi. Atq; de eadem dote optime intelli-
guntur verba Malach. 4. Erigetur sol iustitiae vobis ti-
mentibus nomen meum, & sanitis in pennis eius, & egre-
diemini, & salietis ut vituli. Denique Sapientia 3. de
Sap. 3.

Dos agili-
tatis in cor-
poribus resur-
gentium.

2 Cor. 15.

Isaia 40.

Augustin.

Hilario.

Psalm. 138.

Malach. 4.

Sap. 3.

E Beatis dicitur. Fulgebunt iusti: & tanquam scintilla in
arundinetis disurrent. Quibus verbis claritatis & agi-
latis donum aperte significatur, ut notauit Innoc. Innocent. 3.
3. li. 4. de mysteriis cap. 12.

Innocent. 3.

De subtilitate vero non est locus ita expressus in
scriptura. Res autem, quæ illa voce significatur, satis
indicata est. Ut enim aliorum expositiones relin-
quamus, per subtilitatem corporis intelligimus vim
femouendi, & quocumq; ingrediendi, vel egredien-
dis alterius corporis impedimento, sicut Christus
stus egressus est clauso sepulchro, & ingressus ad di-
scipulos ianuam clausam. Hæc ergo proprietas indica-
tur à Paulo illis verbis 1. ad Corint. 15. Seminatur cor-
pus animale, surget autem spirituale. Hæc enim est pro-
pria spiritus conditio. Velocitas namque, & agilitas
quodammodo potest esse corporibus communis;

Dos subtili-
tatis in cor-
poribus Christi
glorioso.

1 Cor. 15.

transire autem absque impedimento corporis, proprium est spiritus. Item alia proprietates iam fuerunt à Paulo in aliis particulis expressae. Ergo, cum in hac particula aliquid particulare addere videatur, non potest commodius, quam de hac proprietate explicari, ut etiam Chrysostomus, & Theophyl. ibi indicant, & expressius Damas. lib. 4. de fide cap. 28. Vbi, licet sub illa proprietate corporis spiritualis intelligat etiam includi alias, praesertim quod sit impassibile, & infatigabile: tamen expresse exponit corpus spirituale, hoc est, subtile. Hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cum per ianuas claustrum transiit. Et eodem modo explicat spiritualia corpora resurgendum Anastasius Episcopus Antiochen. lib. 5. de resurrectione.

Tertio probatur assertio posita ex Patribus. Nam praeter citatos, cum exposuimus loca scripturae, August. 13. de Ciuit. ca. 18. late explicat dotem agilitatis, & lib. 20. c. 18. praeter hanc explicat dotem immortalitatis, & in Enchirid. c. 90. & lib. 23. de ciuit. c. ult. & clarius dicto lib. de cognitione verae vitae c. 45. & de spiritu, & anima, cap. 64. ceteras ponit proprietates. Quas etiam recte attigit Gregor. lib. decimoquarto Moral. capite vigesimo nono, alias 31. & lib. 18. capite 27. alias 31. & in expositione septimi psalmi poenitentiae in fine, Lactant. libro septimo Diuini. insit. capite 26. Cyrillus etiam Ierosolym. cap. 18. Resurgit (inquit) hoc corpus: sed non tale manebit, verum erit aeternum, & non amplius cibis opus habebit, neque scilicet ad ascensum. Fiet etiam spirituale & splendeat ut sol. Vbi duas proprietates subtilitatis, & agilitatis vno verbo, spiritualis corporis, quod sine impedimento moueri potest, complexus est. Latius haec explicuit Anselm. libro de similitudinibus cap. 48. & sequentibus, vbi quatuordecim ponit partes beatitudinis: quarum vna est pulchritudo, ad quam corporis claritas pertinet: alia est agilitas, ad quam reuocatur fortitudo: alia est sanitas, & longauitas, quae ad impassibilitatem pertinent: alia est libertas, ad quam pertinet (ut ipse exponit cap. 53.) ut nihil obstat, vel impediatur, aut nos constingat, quae pertinent ad dotem subtilitatis, ut eodem cap. 45. late exponit, & exemplo Christi confirmat. Reliquae vero partes, quas ibi numerat, magis ad animum, quam ad corpus pertinent. Eadem prosequitur in prologo ca. 25. fere eisdem verbis, & Laurentius Iust. lib. de perfectione monasticæ conuersat. c. 23. & li. de triumphali Christi agone c. 26. Bonauent. in breuiuloquio p. 7. c. 7. Hugo Victor. lib. 1. de anima c. 17. & lib. 4. c. 14. 15. & 16.

Quarto possumus rationem reddere huius assertionis ex D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 6. Quia ad perfectam animae beatitudinem necessaria est haec corporis perfectio. Nam (ut ait August. 12. Gen. ad litteram cap. 35.) Si tale sit corpus, cuius sit difficile, & grauis administratio, auertetur mens ab illa visione summi calis, & ideo oportet, ut corpus fiat spirituale, ut anima angelis coaequata perfectum habeat naturae suae modum, obediens, & imperans tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloria, quod arcana sunt. Quae ratio in primis non probat de dote claritatis, nec de dote subtilitatis, ut à nobis explicata est. Constat enim, quamuis corpus non esset lucidum, neque potens ad penetrandum alia corpora, potuisset nullam pati difficultatem, neque animam à visione Dei distrahere, aut retardare. Deinde non est intelligenda haec ratio, etiam ad alias dotes applicata, ac si illa corporis dispositio, vel facilitas fuerit simpliciter necessaria ad perfectam Dei visionem, ut videre licet in Christi anima, quae mortali corpori coniuncta, perfecta visione fruebatur. Ratio est, quia illa visio ita rapit mentem: & lumen gloriae, ac diuina essentia tantam necessitatem inferunt animae, ut si in perfectionibus semel afficiatur, nulla possit corporis molestia, vel afflictione distrahi, aut retardari. Intelligenda ergo est haec ratio de quadam prolatione magis congruente, & quodam-

modo connaturali. Nam anima coniuncta corpori corruptibili, ex natura rei ab illo pendet in suis operationibus, & ideo ex natura rei repugnat animae sic coniunctae ita eleuari ad actiones mentis, ut nullo modo possit difficultate corporis impediri. Quare ille status animae ita perfectus quasi natura sua postulat altiore statum corporis: requirit ergo corpus spirituale, non natura, sed potestate. Et hinc consequenter fit, ut cum immortalitate, & agilitate simul habeat subtilitatem. Tum quia haec est proprietas spiritus, quam consequenter participat corpus, cum spirituale fit: tum etiam quia quodammodo includitur in perfecta agilitate. Quia sicut velocius est motus, quando medium minus resistit, si cetera sunt paria: ita perfectior erit corporis agilitas, si per omnia corpora sine ulla resistentia possit percurrere. Tum denique, quia quodlibet impedimentum vel resistentia quandam ingerit difficultatem, & priuat quodammodo perfectam libertatem, & dominio. Igitur haec etiam proprietates pertinent ad omnimodam animae in dependentiam in omnibus suis actibus, ac motibus, ac si in corpore non existeret. At vero declaritate alia ratio reddenda est ex eodem D. Thoma cum August. epistol. 56. ad Dioscorum. Haec enim proprietates (ut D. Thom. verbis vtamur) non est requirit, ut dispositio antecedens ad conuenientiam animae statum in ordine ad suas operationes, sed est veluti dispositio consequens. Nam quia anima beata perfecta spirituali lumine plena est, ideo ex illo veluti redundat ad corpus lumen, & claritas illi proportionata. An vero haec redundantia sit per efficientiam seu emanationem physicam: vel solum secundum quandam congruentiam, & conuenientem dispositionem, dicemus seorsum sequenti.

Et ex hac ratione colligi potest, non solum perfectiones has esse conuenientes corpori glorioso (ut explicatum est) sed etiam esse sufficientes, neque alias requiri, quae ad has non possint facile reuocari. Corporis enim perfectio considerari potest, vel per se tanquam bona dispositio in ordine ad esse, seu ut conueniens ornamentum ipsius corporis, & ad hoc ordinatur claritas, quae pulchritudinem corporis illustrat, & consummat, estque veluti decentissimum corporis gloriosi indumentum. Huc etiam pertinet immortalitas, quatenus includit sanitatem integram, & optimam corporis dispositionem ad illius conseruationem sufficientem, additque vim quandam, quae haec sanitas, & dispositio integra, atque illa conseruetur. Quod explicari hoc modo etiam potest. Quia oportuit corpora gloriosa eleuari ad supermas perfectiones corporum, ut talia sunt: sed in corporibus magna imperfectio est corruptio, & ideo corpora caelestia habere in eo ordine supremum quandam gradum, quia sunt incorruptibilia. Inter qualitates etiam corporum lux perfectissima, & purissima censetur, oportet ergo, ut beata corpora in utraque harum perfectionum emineant. Rursus potest desiderari corporis perfectio in ordine ad animae functiones. Et ad hoc partim deseruit impassibilitas, quatenus operatio sequitur esse, partim consummatur haec perfectio per dotem agilitatis, quatenus anima vtitur corpore & organo suo, & instrumento, qui vsus perficitur per haec dona, ut optime, ac sine ulla impedimento fiat.

Dices, Etiam anima requirit corpus optime perfectum, ac dispositum, ut omnino illi subiiciatur, tanquam formae suae: ex hac enim perfecta subiectione oritur alia subiectio perfecta in ordine ad operationes, ut D. Thom. notauit in 4. dist. 44. q. 2. ar. 1. q. 1. ergo ad hanc perfectionem requiritur alia dos. Rursus vtitur anima corpore ad operationes sensuum, & appetitus sentientis, ergo etiam ad hunc perfectum vsus requiritur specialem dotem. Ad priorem partem, D. Tho. citato loco reuocat illam perfectionem.

Chrysostom.
Theoph.
Damas.

Ana. Ant.

August.

Greg. Pap.

Lactant.

Cyrl. Ieros.

Anselm.

Laur. Iust.

Bonauent.

Hug. Vict.

D. Thom.

August.

Dotes gloriae
in corp. rib.
beatorum
necessariae
quomodo.

Augustin.
D. Thom.

Praeter quae
tuor dotes
gloriae nulla
alia in cor-
poribus bea-
torum per-
fectio neces-
saria.

Obiecta.

D. Thom.

Responsio.

fectionem in dotem subtilitatis. Nam quia subtile dicitur, quod est penetratium, & facile ad ima usque perumpit, ideo translatum est hoc nomen, *subtile*, ad significandum illud corpus, quod optime substat forme, & perficitur ab ea completissimo modo. Et hoc sequuntur Paludanus, Soto, & alij. Sed reuera hæc perfectio magis videtur spectare ad dotem impassibilitatis, quatenus [ut diximus] includit perfectam corporis sanitatem, & optimam corporis dispositionem. Quin potius, si accurate distinguamus id, quod pertinet ad naturalem dispositionem corporis, & id quod est supra naturam, & hoc posterius solū nomine dotis significemus, illa perfectio corporis non pertinet ad dotes, sed supponitur dotibus. Quia ut anima informet corpus, ex natura sua requirit certam dispositionem, unde ut perfecte, ac plene informet, nihil aliud postulat, nisi perfectam dispositionem ac temperamentum. Quin etiam addo, quoad hunc effectum non posse iuari ab aliqua perfectione supernaturali corporis, nisi solum quoad durationem, seu conservationem. Nam quoad extensionem ex parte corporis non potest crescere hic effectus. Nam si corpus sit bene dispositum naturaliter in omnibus partibus suis, informari potest ab anima in eisdem partibus omnibus, imo necessario informabitur, si natura sua relinquatur. Ergo ex vitalis dispositionis est corpus subtile in prædicto sensu, seu penetratium, aut potius penetrabile ad animam: ergo subtilitas in dicto sensu non est dos supernaturalis. Neque etiam potest crescere hic effectus intensius [ut sic dicam] quia posita in corpore prædicta dispositione anima informat illud, & omnes, ac singulas partes eius, quam perfectissime informare potest. Neque enim illa informatio, in actu primo intendi potest, nec remitti: aut suscipere magis aut minus. Ergo, ut corpus perfecte subijciatur animæ quoad informationem, nulla dos specialis requiritur, nisi in ordine ad durationem, & conservationem, quam confert impassibilitas.

Ad posteriorem partem aliqui docent, illam corporis habilitatem, ut perfecte seruiat operationibus sensuum, pertinere ad specialem dotem. Et Durandus censet, hanc esse dotem subtilitatis, quod non displicet Paludano, neque Soto omnino. Sed [si attentius res consideretur] hæc corporis perfectio non est distincta à supra enumeratis, nisi fortasse quatenus requirit aliquos habitus vel species sensibiles, seu phantasmatas, de quibus nunc non agimus. Quia potius annumerentur inter animæ perfectiones, & sub gratia, & scientia comprehenduntur, de quibus alibi dictum est. Quod vero præter hæc nulla noua perfectio in corpore requiratur ad prædictas operationes, sic explico. Nam in operationibus sensuum, vel appetitus, tripliciter possumus intelligere concurrere corpus: primo antecedenter, ut remouendo prohibens, vel applicando potentiam, ut v.g. quando aperit oculos, & quando conuertit faciem ad obiectum, & totum id, quod huiusmodi est, sit per mutationem localem, & ideo per dotem agilitatis perfecte seruit corpus hoc modo operationibus sensuum. Secundo concurrat corpus efficiendo ipsam operationem sensus. In quo concursu possunt multa considerari, præsertim tria. Primo receptio speciei, & aptitudo organi ad illam. Secundo spirituum vitalium, & animalium subministratio. Tercio effectio, & receptio ipsius operationis vitalis. Quoad primum, ex parte corporis nihil requiritur, præter optimū organi temperamentum, quod ex propriis, & connaturalibus dispositionibus confurgit. Quia species imprimitur potentie sine vlla resistentia, ac per se loquendo actione instantanea, & perfectiua. Et ideo si organum sit bene dispositum, fiet species omnino perfecta, iuxta naturalem virtutem obiecti. Quoad secundum vero, præter substantialem perfectionem, & natura-

lem vim agendi ipsorum spirituum, solum conferre potest agilitas, vel subtilitas ut velocissime, & sine impedimento ministrentur. Impassibilitas vero conferret, ut spiritus immutabilis, ac semper idem perseverent, ac sine vlla naturalium facultatum lassitudine communicentur. Quoad tertium denique nihil aliud requiritur, quam naturalis perfectio potentie. Quia positis omnibus alijs requisitis sine vlla difficultate, vel resistentia, atque adeo sine villo corporis impedimento in instanti suam perficit operationem. Ergo, ut corpus perfecte obediat animæ, quoad has operationes, & omnia illa, quæ per se concurrunt, non est necessaria alia dos. Tercio reperitur in his actionibus aliud consequens, seu resultans ex actione, ut v.g. ex affectu gaudij sequitur aliqua sanguinis motio: vel ex operatione phantasie motio appetitus, & similia. Et in his omnibus etiam corpus perfecte obedit ex vi prædictarum perfectionum. Nam illa operatio, quæ consequitur, vel est motus localis, & perficitur agilitate, vel est operatio alterius potentie sensitivæ, & ad hanc sufficiunt omnia principia, quæ explicata iam sunt.

Dices, hæc omnia recte procedere de operationibus sensitivis omnino commensuratis naturali virtuti potentiarum, & obiectorum, & de facultate vtendi corpore ad illas exercendas, qualis suo modo fuit in Adamo in statu innocentie absque vlla propria dote supernaturali. Fieri autem potest, ut hæc potentie eleuentur ad operandum perfectius, quam naturaliter possint. Ut v.g. visus ad videndum obiectum ultra distantiam connaturalem, vel ad videndum perfectius intensius, quam naturaliter possit, vel fortasse ad videndum aliquod obiectum, quod viribus naturæ non posset, ut lucem intensissimam, vel (si esse potest) aliquod visibile alterius ordinis, vel si phantasia eleuari potest ad concipiendum aliquo modo Deum altiori modo, quam suapte natura posset. Respondetur concedendo, has, vel similes perfectiones esse posse in sensibus beatorum. Tamen, ut corpus in his omnibus perfecte obediat, nullam nouam perfectionem, aut dispositionem requirit: sed solum necessarium est, ut augeatur vis actiua, vel obiectorum ad imprimendas species ad maiorem distantiam, & cum maiori perfectione, & sine concomitantia materialis alterationis, vel ex parte animæ, & potentiarum eius, siue per maiorem Dei concursum, & auxilium, siue per habitum, aut qualitatem similem. Quæ omnia [ut dixi] non pertinent ad dotes corporis, sed ad dona animæ. His autem positis, ex parte corporis nulla potest esse resistentia, aut repugnantia, cum non alteretur, neque naturalis eius dispositio villo modo immutetur: ergo ut perfecte subijciatur spiritui in his operationibus non requiritur alia dos.

Sed instabis, quia licet ad vtendum perfecte corpore in prædictis operationibus non sit necessaria noua perfectio: tamen ad non vtendum, id est, ad suspendendum operationes corporis pro arbitrio animi, necessaria est specialis virtus, ut verbi gratia, ad non audiendum, etiam si hic voces proferrantur, & facultas sit expedita, & sic de cæteris sensibus, & de appetitu, ut possit, verbi gratia, exercere affectum aliquem sine vlla corporis, vel alius humoris commotione. Hæc enim omnia, & similia sunt in potestate Beati. Nam si potest suo arbitrio imprimere species, vel continere influxum (ut supra vidimus) multo magis habebit hoc dominium in proprijs actionibus vitalibus. Respondeo, habere quidem Beatos hanc perfectionem: non tamen ex aliqua corporis dispositione. Quæ enim intelligi potest, quæ hunc effectum habeat, cum dispositio corporis eadē semper sit. siue sensus operetur, siue non. Non ergo potest illa esse ratio suspendendi actum, quando Beatus non operatur. Tota ergo hæc ratio potest esse in voluntate, ad quā spectat inferiores potestias

Obiectio 2a

Responsio

Obiectio

Responsio

Anima beati

si vult ad

suspenden-

dum opera-

tiones corpo-

ris unde ha-

bit.

Xx 4

mouere,

mouere, quæ illi subijciuntur. Fiet autem post resurrectionem, ut omnes illi subijciantur. Porro hæc subiectio (ut opinor) non fiet per qualitatem aliquam inhaerentem inferiori, aut superiori potentia. Quia neque in inferiori posset impedire actionem, per solam suam præsentiam, vel inhaerentiam: alioqui etiam impediret, vel aliquo modo resisteret, quando voluntas imperaret. Neque etiam in superiori conferret ad suspendendam actionem inferioris potentia. Quia hæc suspensio non potest fieri per physicam actionem positivam. Sicut, quod calorignis suspendat actionem circa passum propinquum, & non resistens, non potest intelligi fieri per qualitatem aliquam adhaerentem calori, aut per positivam actionem superioris agentis seclusa naturali resistētia circa idem passum: sed per solam suspensionem diuini concursus impediri potest. Sicigitur prædicta potestas erit in Beatis non ex aliqua dote corporis, sed ex virtute animæ, cui diuinitus datum est, ut influxus in actiones suas sit in ipsius potestate, & voluntate, siue hoc sit, quia Deus alio modo non concurreret, siue quia sua lege, & voluntate potest hunc ordinem statuere. Nam sicut inter potentias animæ, quia in eadem anima radicantur, est quædam naturalis sympathia, ex qua interdum prouenit, ut ad actionem vnius moueatur alia, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium: ita videtur Deū posse sua voluntate constituere hunc ordinem inter potentias, ut inferiores non agant sine consensu voluntatis. Facilius tamē intelligimus, si addamus, Deum interim suspendere concursum suum, quia iam ex lege eius non est debitus inferiori potentia, donec superior consentiat.

Perfectiones supernaturales corporum beatorum naturam perficiunt, non destrunt.
Hieronym. Ultimo tandem ex dictis constat, contra errores, quos adduximus initio huius sectionis, totam hanc supernaturalem perfectionem corporis non destruere naturam eius, sed corrigere potius (ut sic dicam) imperfectionis eius. Nam licet humanum corpus natura sua non sit lucidum: tamen lux ei adiuncta non destruit substantiam, neque accidentia illi conaturalia. Et simile est de alijs, ut euidentius constabit, dum singulas dotes in specie prosequemur. Propter quod recte dixit Hieronymus. Amos 5. *Hominem, corruptibile, & infirmum animal transformandum esse in spirituale, robustum, & incorruptum, mutans gloriam, non naturam.* Quod similiter dixit Anselmus in prologo, ca. 25. *Animale corpus resurrecturum spirituale, potestate, non natura.* Idemque latius explicuit Augustinus in Enchirid. cap. 91. & 1. Retract. c. 17. & alijs locis citatis: & recte Tertul. lib. de resurrect. carn. cap. 51. explicans illa verba Pauli, *Oportet, corruptibile hoc inducere incorruptionem. Quid (inquit) mortale, nisi caro? Quid corruptibile, nisi sanguis?* Et acute notat, Apostolum ad didisse pronomen illud, *hoc*, quasi ad designandum suam propriam carnem. Nam illud pronomen demonstrat rem præsentem. Illa ergo eadem caro (concludit) *que patitur corruptionem, incorruptionem induet: non in alia natura, sed in alia conditione, & statu, ut idem late explicat libro 5. contra Marcionem, cap. 10.* Et ex his satisfactum est fundamentis prædictorum errorum.

SECTIO II.

Quæ & qualis sit claritas corporis Christi.

Socius. **L**icer omnes Theologi in 4. partim d. 44. partim d. 49. doceant, omnia corpora gloriosa habitura claritatem aliquam (quia hoc expresse in Scriptura asseritur) non tamen omnes eodem modo illam declarant. Scotus enim d. 49. q. 15. solum existimat esse certum illa corpora habitura colorem perfectissimum, cum quadam refulgentia, & aptitudine ad se manifestandum. An vero propriam lucem in se habeant, ac recipiant, sub dubio relinquit, & solum sub conditione (si id est possibile) affirmat hoc

Durand. esse sentiendum. Neq. ab ea sententia multū discrepat Durand. d. 44. q. 8. Nam licet simpliciter existimet probabilius in corporibus beatis esse internam lucem: dicit tamen, etiā posse intelligi, quod sint clara solum quia erunt tersa, ac polita: unde fiet, ut Solis radijs, & aliorum luminarium fulgeant magna claritate. Sed immerito hi authores hanc rem in dubiū reuocant. Nam constat ex Scriptura, claritatem, & fulgorem corporis gloriosi fore perfectissimum, & longe maiorem splendore solis, ut omnes Patres interpretantur. Nō potest ergo illa claritas consistere in solo nitore, vel puritate coloris. Neq. potest, resurgere extrinsecus ex Sole, & ex alijs luminaribus.

Des claritas in corpore glorioso quid sit.
Dicendum est ergo primo, hanc claritatem esse internam lucem corporis gloriosi, ac perfectissimā qualitatem ipsi inhaerentem. Probat primo ratione facta, & fundata in omnibus testimonijs in 1. sect. adductis. Secūdo, quia non posset corpus aliter fieri lucidum. Hæc enim denominatio non est extrinseca, ut per se notum est. Etenim hæc qualitas per se datur corpori glorioso, non quidem ad aliquod operandum, sed ut sit formalis perfectio, & pulchritudo eius. Item quia etiam si corpus gloriosum nullo alio corpore circumdetur, ut v.g. extra cælū empyreum, est eodem modo lucidū, & corpus Christi, quando ante Ascensionem erat in terra circumdatum aere, in se lucidius, ac fulgentius erat, quā aer, quo circumdabatur. Ergo illa lux non potest esse in corpore circumstante: ergo est in ipsomet corpore glorioso. Respondere quis posset, esse subiectiue in aere existente intra ipsum corpus gloriosum. Sed licet verum sit esse in illo, non tamen in solo illo, alias non posset ipsa superficies externa corporis lucida esse, & videri. Præsertim quia sancti Patres non solum dicunt illud corpus esse lucidum: sed etiam esse perspicuum, ac transparentē, ita, ut omnia eius mēbra, ac viscera externis oculis patere possint. Quod his verbis docuit Greg. lib. 18. in Iob. c. 27. alias 31. exponens illa c. 28. *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. Quid aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium societatem, quorum corda sibi inuicem & claritate fulgent, & puritate translucent.* & infra. *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, si q. vnusquisq. tunc erit conspicibilis alteri, sicut nunc est: non potest conspicibilis sibi. Eadem sententiam significat Aug. lib. 22. de ciuit. c. vltimo, dum inquit.* *Omnia membra, & viscera incorruptibili corporis profutura in laudibus Dei, cuius rei eam subdit causam. Quia omnes illi, qui nunc latent harmonia corporalis numeri, tunc non latebunt intrinsecus. Et in lib. de cognit. vitæ. cap. 45. dicit, corpus illud perspicuitate futurum æquale spiritibus, & Soli. Expressius hoc docuit Laurent. Iustinian. lib. de disciplina & perfect. monasticæ conuersat. c. 23. vbi de corpore glorioso hanc in modum eleganter scribit. *Nimiam quoque claritate fulgebit, ita ut Solus septies transcendat splendorem: non autem lumine suo intuentium se reuerberabit aspectum, sed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitque erit que tota eius substantia corporis oculis visibilis, adeo ut viscerum, cætorumq. membrorum harmonia Conditoris declararet maiestatem admirandum. Et hoc etiam docuit D. Th. in 4. d. 44. q. 2. ar. 4. q. 1. præsertim in sol. ad 2. vbi alii Theologi idem tradunt, quamuis Bonau. Scotus, & Durand. oppositum sentiant, quorum rationes statim dissoluemus.**

D. Thom.
Ex hac ergo Sanctorum doctrina dico secundo, hanc claritatem futuram esse in omnibus partibus corporis gloriosi, nec solum in extrema superficie, sed in tota profunditate, & in carne, ossibus, ac cæteris membris. Ita D. Thom. supra, quem sequitur Palud. dif. 44. q. 5. Scotus dif. 49. q. 4. artic. 8. Richard. artic. 4. q. 6. & Maior. q. 19. Supplement. Gab. dif. 44. q. 2. Probat, quia alioqui non posset totum corpus esse peruium oculis. Illa enim pars interior, quæ lucida non esset, neq. ipsa videri posset, neq. posset, ut potest

vt pore densa, & opaca, ex natura rei esse medium ad videndum alias: non ergo esset totum corpus transparent. Præterea, ratione confirmatur, quia non repugnat, totum corpus perfici hoc modo hac qualitate: decet autem vt omnes eius partes hanc illius gloriam participant.

1. Obiectio.

Sed contra primo, nam repugnat partes valde densas, & natura sua non diaphanas, sed opacas intime penetrari lumine. Est enim lumen natura sua actus diaphani, quatenus diaphanum est, & ideo naturaliter non recipitur in corpore opaco, nisi in extrema superficie eius: quia in illa cōuenit cum corpore diaphano: non potest autem forma recipi nisi in proprio suo susceptiuo, ergo. Secundo videtur repugnare, corpus habere colorem simul esse oculis peruium, quia color requirit perspicuum terminatum opacitate corporis, teste Aristotele de sensu, & sens. sed in corporibus gloriosis erit color (vt ex supra dictis constat) quia est qualitas maxime connaturalis, & ad pulcritudinem multū necessaria, ergo. Tertio, quia videtur repugnare, corpus esse peruium, ac transparent, simulque lucere: sed corpora Beatorum erunt lucentia, non ergo erunt transparentia. Maior constat experimento. Nam vt corpus luceat, oportet, vt lux in illo sit aliquo modo terminata, & hac ratione corpus vndeque lucidum, quod etiam lucet, non solet esse omnino peruium oculis: sed impedit potius, ne videatur aliud corpus post illud existens.

Secunda.

Aristot.

Tercia.

Quarta.

Bonauent.

Scotus.

Durand.

Responsio
ad obiectio-
nes lux, &
color simul
in eodem sub-
iecto non re-
pugnant.
Cyril. Ierof.

Denique, si corpora gloriosa ita essent omnino transparentia, ac lucida non possent videri vt distincta proprijs membris, ac figuris: sed confuse viderentur omnes partes sicut videtur Sol, consequens autem est magnum incommodum.

Propter has, & similes rationes Bonauent. dif. 49. 2. part. articulo quinto questione prima negat corpora Beatorum fore peruiia oculis, sed tantum colore affecta, & splendentia ratione claritatis in vltima superficie receptæ. Idem sentiunt Scotus, & Durandus supra: & alij ex citatis authoribus dubij sunt. Sed nulla apparet hic repugnantia, quæ nos cogat, vt à Sanctorum doctrina recedamus, & hac perfectionem gloriosis corporibus denegemus.

Primo enim, quod lux, & color simul esse possint, non est magna repugnantia. Nam in primis in extrema superficie illuminantur omnia corpora. Deinde vitrum v.g. viride non solum in superficie, sed intime totum perfunditur lumine. Rursus non solum ab extrinseco potest corpus coloratum illuminari: sed etiam interdum contingit, corpus coloratum esse intrinsece, & natura sua lucidum, vt in quibusdam vermibus experimur. Quo exemplo vltus est ad rem hanc confirmandam Cyril. Ierosolym. cat. 18 dicens. *Iusti splendent, vt Sol, & rāquam luna, & sicut splendor firmamenti: & prævidens istam hominum incredulitatem Deus vermibus paruis lucidum dedit corpus, vt eo splenderent, vt ex apparentibus crederetur id, quod expectamus. Qui enim partem potuit præstare, poterit & totum: & qui fecit, vt vermis lumine splenderet, multo magis hominem iustum. Itaque non est formalis repugnantia inter lucem, & colorem. Dices, hoc esse verum in gradibus remissis, secus vero esse in intensis. Sed contra hoc est. Quia licet hoc esset verum ex natura rei, non tamen respectu diuinæ omnipotentia. Deinde quamuis ex natura rei nunquam repugnantur simul in perfectissimis gradibus, fortasse non est propter formalem repugnantiam eorum secundum se: sed vel ex defectu virtutis actiue, vel ex dispositione subiecti. Tandem (vt statim dicam) probabile est, lucem illam corporum resurgentium esse alterius speciei à luce Solis, & ab omni inferiori: & ideo non oportere, vt respectu coloris habeat eandem repugnantiam, quam habet lux inferior, quam experimur.*

Corpora beatorum lucida simul, &

Secunda repugnantia, quæ obiciebatur est, quod lux sit actus corporis opaci, & densi, & quod illud

intime penetret, & actuet secundum omnes partes.

Quæ obiectio eandem fere habet responsum. Nam in primis lux etiam naturaliter interdum esse potest in corpore denso, secundum omnes interiores partes suas, vt in flamma, in vitro, & crystallo.

Quid ergo mirum, quod à Deo constitui possit in corpore densiori, vel duriori? Cui licet desit dispositio apta, & connaturalis, vt ab agente naturali totum illuminari possit, non tamen deest capacitas in qua possit recipi lux à Deo facta, seu infusa. Deinde cum Aristoteles dixit, lumen esse actum diaphani, non definiuit, hanc esse absolutam essentiam illius qualitatis secundum se: sed explicuit proprium subiectum, quod lumen requirit, vt possit ad visionem deferuire. Aliunde vero constat, probabile esse lucem & lumen non differre essentialiter: & lucem non esse actum diaphani. Præterea, licet aliquod corpus natura sua non sit diaphanum, cur repugnet, diuina virtute recipere hanc proprietatem? Dices. Quia repugnat cum densitate, vel duritie eius. Sed contra, quia licet ex natura rei ita sit, tamen diuina virtute vinci potest. Magis enim repugnant duo corpora in eodem loco, & tamen Deus contulit corporibus beatis, vt possint difficultatem superare. Denique, si claritas corporum resurgentium est alterius ordinis, facilius dici poterit, subiectum illius non esse omnino eiusdem rationis cum subiecto nostræ lucis aut luminis.

Tertio repugnare videbatur idem corpus lucere, & esse transparent. Sed hoc etiam variis modis explicari potest. Primum enim dici potest, simul ac respectu eiusdem repugnare idem corpus lucere, & esse oculis peruium, propter rationem, quæ supra in tertia obiectione tangebatur. Nec necessarium videtur, admittere corpora gloriosa simul exercere posse vtrumque actum respectu eiusdem, vt colligi potest à simili ex Diuo Thoma supra questione tertia ad secundum. At vero non repugnat, idem corpus esse aptum vt lucere possit, ac peruium oculis se præbere, vel respectu diuersorum, vel respectu eiusdem diuersis temporibus. Cum enim corpus humanum natura sua densum sit, ac solidum, si totum sit luce perfusum, aptum erit ad lucendum, & hoc modo poterunt beata corpora lucere. Quia vero omnis actio eorum est in potestate, ac voluntate, beati non necessario semper lucent: & quia alioqui sunt diuinitus effecta transparentia, ac diaphana, possunt etiam, suspendendo actum lucendi, sese oculis peruiia præbere. Vltius tamen addi potest ex dictis, etiam respectu eiusdem non repugnare illa duo esse simul. Quia sicut idem corpus densum, ac durum, potest simul diuina virtute fieri diaphanum: ita ratione vnius proprietatis potest per lucem in se receptam lucere, & ratione alterius se peruium oculis exhibere. Et eodem modo poterit idem oculis glorificatus, & ad videndam lucem illam confortatus, & videre corpus illud, vt lucidum, ac lucens, & per illud, vt transparent simul alia transpicere. Quod præterea sic declaro. Nam corpus aliquod esse transparent, ac peruium oculis nihil aliud esse videtur, quam vt sit aptum medium, per quod possint transire species visibiles alterius corporis post ipsum existentis: vnde fit, vt respectu partium eiusdem corporis transparentis, vna possit per aliam se manifestare, seu videndam præbere, speciem emittendo. Vt ergo corpus gloriosum sit transparent, duo requiruntur: alterum ex parte eius, scilicet, vt sit capax ad recipiendas species visibiles: alterum, vt obiectum sit potens ad efficiendas illas vt tali medio, seu in tali corpore. Vnde fit, vt duobus modis possit intelligi corpus gloriosum esse transparent: vno modo respectu sui ipsius, & omnium suarum partium: alio modo etiā respectu aliorum. Et primum quidē, scilicet respectu sui facile intelligitur. Nā sicut illud corp⁹ supernaturaliter factū

est

est capax lucis, ita etiam supernaturaliter fieri potest capax specierum visibilium (non enim vnum magis, quam aliud repugnat) & similiter eleuari potest idem corpus ad efficiendas huiusmodi species non tantum per superficiem vltimam: sed etiam secundum se totum, & per omnes partes internas, vel immediate, vel mediate, videlicet, ut distantiores partes, & magis internæ, per partes propinquiores species emittant. Nam hæc etiam virtus non repugnat, & alioqui est consentanea corpori glorioso. Vnde sicut in his inferioribus lumen & adiuvat, disponitque colorem, ut speciem sui emittere possit, & præparat etiã medium ad susceptionem specierum coloris (siue hoc lumini, siue diaphaneitati tribuatur, de quo alias ita dici potest, lucem corporis gloriosi, & conferre vim omnibus eius partibus, ut sui speciem possint emittere, & disponere etiam illas: ut quædam possint recipere aliarum partium species. At vero respectu aliorum obiectorum visibilium, an corpus Beati possit esse medium peruium, & trās- parens ad videndū illa, non satis constat. Tum quia ex dictis Sanctorum solum habemus, illa corpora ita fore trāsparētia, ut in eis videri possit quicquid nunc interius latet: quod vero per illa quoque possint videri res aliæ, Sancti non dicunt, nec necessario sequitur ex priori. Tum etiam, quia ut videatur obiectum per aliquod medium, nō satis est, ut illud medium sit capax specierum visibilium: sed etiam necesse est, ut obiectum sit potens ad imprimendas species in tali medio, ita ut potentia actiua vnus sit proportionata potentia passiua alterius. Quamuis autem corpus gloriosum sit susceptiuū specierum: tamen, quia illa capacitas non est naturalis, sed miraculosa, & superioris ordinis, fieri potest, ut obiecta visibilia non possint in illo, & per illud species emittere, & consequenter, ut per illud videri nequeant. Quæ quidem ratio non procedit de corporibus gloriosis, & ideo de illis probabilius existimo, vnum respectu alterius esse peruium oculis, ita ut vnum non occultet aliud post se existens, quia corpus gloriosum eleuatum est non solum ad recipiendas, sed etiam ad efficiendas species in tali medio. De alijs vero corporibus habentibus tantum naturalem dispositionem, ac virtutem, mihi res est dubia. Quia cum tantum agant virtute naturali, fortasse nō possunt transmittere sui speciem intra corpus beatificum, & per illud quasi penetrare vsque ad visum. Quia solum possunt immutare illud corpus iuxta capacitatem eius naturalem. Nisi fortasse dicatur corpus illud per hanc dotem gloriæ ita esse effectum transparentem, ac perspicuum, ac si haberet hanc qualitatem naturalem: & ideo quodlibet obiectum naturaliter visibile posse per illud species transfundere, quod est probabile, quamuis incertum. Addo vero vltimo, illa corpora non posse dici peruiua, aut transparentia propter poros (ut Durandus, Bonaventura, & alij significarunt.) Quia vel in corporibus beatis non erunt pori (ut Paludanus sentit, quia illi non pertinent ad perfectionem naturæ, sed potius ad imperfectionē) vel certe, licet poros habeant (cum fortasse naturaliter consequantur compositionem corpori humano debitam) nō sunt tamen proportionatum medium ad visionem, cum per illos non possit per lineam rectam radius, speciesque trāsmitti. Vnde multo minus possunt sufficere, ut totū corpus quoad omnes interiores partes clare, perspicueque cernatur.

Per corpus
vnius beati
videri obiecta
alia quomodo
pos-
sint.

Dubium.
Bonavent.

Palud.

Claritas
corporis glori-
osi distin-
ctam sui vi-
sionem non
impedit.

Quarta difficultas erat, quomodo possint corpora beata si lucida sunt, distincte videri quoad omnia delineamenta, omnemque pulchritudinem. Sed hoc facillimum est ex dictis. Quia illa lux corporis gloriosi non lædet oculum: sed confortabit potius. Vnde etiam si luceat, vel sui speciem emittat, non impedit oculum, quominus distincte colorem, figuram, resque alias videre possit. Rursus quamuis

A corpus beatificum fiat transparentem, & diaphanum: tamen quia non amittit suorum membrorum densitatem, & soliditatem, tam perfecte poterit in se visionem terminare, ac si nihil aliud per illud videretur. Significat autem D. Thomas loco supra citato, quæstioncula 3. ad 2. non posse corpus gloriosum simul videri secundum proprium colorem, & esse medium ad videndum colorem alterius corporis. Quia visus nequit immutari simul à duobus coloribus, ita ut vtrumque perfecte videat, & ideo ait, posse corpus gloriosum suo arbitrio aut se præbere cōspiciendum per suum colorem immutando visum, aut suspendere immutationem coloris, ut se oculis peruium exhibeat. Et ita concludit, esse in potestate Beati occultare, vel non occultare corpus post se existens. Et vltimum est valde probabile, si Beatus velit immutare visum alterius solum per colorem existentem in externa superficie. Si tamen velit simul immutare per colorem, lucem, & species alterius obiecti visibiles, quas in se suscepit, etiam existimo, posse id facere, & in visu alterius Beati non deesse virtutem, ut simul possit per omnes illas species distinctas cognoscere, quia est diuinitus confortatus & eleuatus, ut perfectiori modo videre possit. Quidquid vero de hoc sit, ex dictis tamē est certum, quod claritas corporum beatorum non solum non impedit distinctam eorum visionem, verum potius inuabit illam, eamque delectabiliorem reddet. Est enim lux (ut Damasc. dixit libr. 2. de fide. c. 7.) decus, atque ornamentum visibilis creaturæ, cuius pulchritudinem conspiciam reddat. Hæc igitur perfectissima illa Beatorum lux exactius præstabit.

Ex quibus omnibus diffiniri potest quæstio, quæ primo loco tractanda videbatur, in hunc vero reiecta est, ut ex effectibus possit commodius inuestigari, scilicet an lux corporis gloriosi sit eiusdem speciei cum luce solis, aut ignis. Multi enim existimant esse eiusdem, ut D. Tho. d. 4. q. 2. ar. 4. q. 2. Idem videntur supponere Scot. & fere alij auctores locis citatis. Ratio D. Tho. est, quia nisi illa lux esset eiusdem speciei cum ea, quam experimur, æquiuoce dicerentur illa corpora lucida, & nihil sensibile nobis manifestaretur per huiusmodi denominationem. Confirmatur, quia vix potest concipi diuersus effectus formalis vtriusque lucis, nam vtraque reddit corpus clarum, ac per se visibile. Sed quidquid sit de re ipsa: hæc tamen rationes non conuincunt. Quia quamuis intercedat diuersitas specifica, potest nihilominus esse conuenientia vniuoca in ratione lucis, sicut multi opinantur de luce solis, & ignis. Nec de effectū formali potest magis constare, quam de luce ipsa. Quia non repugnat intelligere corpus esse clarum, ac visibile per qualitates specie diuersas. Neque etiam videtur posse probabiliter negari, quin sint possibiles lucēs specie differentes. Cur enim negabimus Deum id posse facere?

Quapropter Richard. in 4. d. 49. ar. 4. q. 7. sentit lucem corporis gloriosi esse alterius, & perfectioris speciei: quod prius docuerat D. Thom. 2. d. 16. sicut supra attingit Disp. 32. Sect. 1. estque verisimile. Nam si huiusmodi perfectio lucis est possibilis, credi potest data perfectioribus corporibus in perfectiori statu existentibus. Deinde, creditur illa lux esse fulgentior luce solis (id enim modo loquendi Scripturæ, & sanctorum Patrum est consentaneum) vel ergo id prouenit ex perfectione essentiali, & specifica illius locis: & hoc est, quod intendimus, vel dicitur prouenire ex maiori intensione. Et hinc etiam probabiliter colligere possumus diuersitatem specificam. Nam lux solis videtur in ipso habere summam intentionem sibi connaturalem: lux autem, quæ est in corpore beato non habet intentionem præternaturalem sibi: ergo natura sua admittit totam illam intentionem, est ergo alterius naturæ. Rursus potest ita explicari. Quia illa lux intelligi potest talis esse,

D. Thom.

Damasc.

Dubium.

D. Thom.
Scotus.

Richard.

D. Thom.

esse, vt nulli corpori sit connaturalis, neque potens fluere ab aliqua forma corporea tanquam proprietate eius, cuius contrarium in luce solis, & ignis reperitur: ergo hoc modo recte intelligitur diuersitas specifica inter has qualitates. Nam cum illa lux corporis beati sit ad eleuandum illud ad supernaturalem statum, verisimile est, non esse aliquam proprietatem alicui corpori connaturalem, si possibile fuit altiori modo fieri, vt per se etiam credibile est. Et in hunc modum aliqui interpretantur illud. *Non indigebis sole, neque luna, quia claritas Dei illuminabit illam*, ac si diceret, illam non esse claritatem solis, & lunæ: non solum, quia ab illis non efficitur, sed etiam, quia non est eius ordinis, & ideo specialiter *claritas Dei* appellatur. Præterea, posita hac differentia facilius expediuntur difficultates supra tractatæ. Nam fortasse illa lux ex vi suæ propriæ speciei, & intentionis sibi connaturalis potest lucere, siue sit in corpore raro, siue denso, siue transparenti, siue in opaco. Et similiter ex parte subiecti æque potest actuare corpus diaphanum, & alterius qualitatis. Item cum hæc lux inferior natura sua calefaciat subiectum caloris capax, fortasse illa lux adeo est supra elementares naturas, vt nō sit apta efficere huiusmodi materialem alterationem. Cur enim daretur corporibus gloriosis qualitas effectrix talis alterationis? Oporteret enim vel actionem eius supernaturaliter perpetuo suspendi, vel adiungi aliam qualitatem, quæ illius actioni resisteret. His igitur coniecturis probabilis sit hæc sententia, quamuis res sit satis incerta.

Obiectio.

Responsio.

Illud vero certum esse videtur, hanc lucem in corpore Christi, & in omnibus alijs esse eiusdem speciei, quamuis pro diuersitate meritum sit inæqualis intentionis, ac perfectionis. Vnde fit, vt in corpore Christi sit intensior, quam in corpore Virginis, & in omnibus alijs, etiam si in vnum conferantur. Quod vero sit in eis vnitas specifica, colligi potest tū ex illis verbis Pauli. *Reformabis corpora nostra configurata corpori claritatis sue*. Tum etiam quia gloria animæ est eiusdem speciei in omnibus, gradu tamen diuerso pro personarum qualitate: at gloria corporis est proportionata gloriæ animæ, ergo.

Sed dices: Ergo illa qualitas videri non poterit, cum non comprehendatur sub obiecto adæquato visus. Respondetur, primo negando sequelam. Certissimum enim est claritatem corporum beatorum fore sensibilem, & consequenter visibilem, quia ad nullum alium sensum pertinere potest. Idque aperte colligitur ex modo loquendi Scripturæ, & Sanctorum, & ex ijs, quæ de claritate corporis Christi in transfiguratione supra diximus. Negatur ergo, illam lucem non contineri sub obiecto adæquato potentie visus. Nam, vt contineatur sub illo, satis est, quod in genere aliquo, & in modo immutandi potentiam conueniat cum lumine, & colore. Sicut enim hoc obiectum comprehendit plures alias qualitates inter se specie differentes, ita potest hanc etiam amplecti.

An vero contineatur sub naturali obiecto, ita vt per se videri possit ab humano oculo non glorificato solis naturæ viribus, absque alia superiori virtute, seu auxilio D. Tho. supra (quem Scot. sequitur) consequenter docet contineri sub obiecto proportionato, & naturali. Quia licet ex accidenti videri commode nequeat ab oculo corruptibili propter alterationem materialem, quæ cum actione illius lucis in tali subiecto ex natura rei coniuncta est: tamen si hæc actio suspendatur, & præcisè fiat propria immutatio lucis, videri recte potest: quia lux quantumvis excellens, & intensa per se non offendit visum, sed potius perficit, ac delectat. Significat autem D. Th. corpus gloriosum ratione sui status, nunquam agere illa luce materiali actione, & corruptiua, sed tantum perfectiua, & intentionali. At vero Richardus est contrarius censet, illam lucem ex natura sua esse improporcionatam nostro visui, & refert Aug. 22. li. de ci-

D. Thom.
Sectio.

Richard.

August.

uit. c. 19. dicentem, Apostolos in corpore mortali non potuisse videre claritatem corporis Christi resurgentis. Sed hoc facile potest intelligi, iuxta sententiam D. Th. prouenire ex alteratione materiali adiuncta: non vero ex improporcionata natura ipsius lucis. Quæ expositio est consentanea verbis Aug. dicentis, *Non enim eam ferre posset humanus, atque infirmus aspectus*. Vnde implemet Richardus non alia ratione probat lucem illam non posse videri, nisi quia naturaliter non potest efficere actionem intentionali, quin simul efficiat alterationem materiali. In quo etiam non videtur consequenter loqui: quia si lux illa est alterius ordinis, & speciei, cur non poterit esse talis naturæ, vt non sit nata materialem alterationem efficere? Aliter ergo probari posset hæc opinio. Quia illa lux est alterius ordinis ab omnibus inferioribus obiectis visibilibus: ergo non potest naturali virtute videri ab oculo, cuius virtus commensurata videtur ijs obiectis visibilibus, quæ corporibus connaturalia sunt. Item hæc lux gloriosi corporis sequitur lucem animæ: sicut ergo lux animæ non continetur intra obiecta proportionata, & connaturalia intellectui: ita probabile est, hanc lucem corporis non contineri inter obiecta proportionata visui ex natura sua.

Sed (licet res hæc incerta sit) prior tamen sententia D. Thom. videtur verisimilior. Quia nulla est ratio, cur visus ex natura sua non sit capax speciei impressæ talis lucis: quod si speciem potest recipere, nulla est ratio, cur per illam non possit etiam actum elicere. Ille enim actus non est quoad substantiam supernaturalis, cum sit corporeus, & circa rem corporalem versetur. Neque etiam est supernaturalis quoad modum. Quis enim est hic modus? Item, vel illud obiectum aliquo modo saltem imperfecto potest naturaliter videri à visu vel non. si non, ergo nullo modo continetur sub obiecto visus. Deus enim licet non possit clare videri ab intellectu virtute naturali: continetur tamen sub obiecto adæquato illius: Quia saltem imperfecte potest ab ipso cognosci virtute naturali: & quia continetur sub latitudine entis, cuius præcisam, & abstractam rationem intellectus attingit: visus autem non attingit communem rationem lucis aut coloris, nisi in quantum in hoc vel illo colore, aut lumine continetur. Ergo si est aliqua lux, quam nullo modo potest naturaliter attingere, illa non continetur sub obiecto adæquato visus. Si autem potest aliquo modo eam attingere, cum illa lux vi sua perfectiorem sui speciem imprimat, & potentiam non ledat, poterit etiam perfecte videri: quia illa species non est improporcionata potentie, nec est, cur dicamus, deesse illi potentie virtutem in suo ordine sufficientem. Denique licet illa lux non sit connaturalis corpori humano: tamen simpliciter naturalis est, & inferioris ordinis, cum sit corporea. Et ideo argumentum sumptum ex lumine gloriæ nullius est momenti, vt statim etiam dicam.

Vltimo enim quæri solet de hac claritate, à quæ Dubium) immediate fiat, D. Thomas enim supra significat o- D. Thom.
riri à gloriæ animæ ex Aug. dicta epist. 56. ad Diosco- Aug.
rum, ubi ait. *Tam potenti natura Deum fecisse animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus*. Cæterum Rich. Rich.
Durand. & alij dicunt, ab ipso Deo immediate con- Durand.
ferri. Dicendum vero existimo (si de propria efficien- Responso.)
tia physica loquamur) Deum solum esse, qui habet propriam virtutem ad efficiendam hanc lucem in corpore humano, nec physice resultare, ex sola natura rei, ex animæ beatitudine. Primo, quia nulla est naturalis conexio inter lucem spirituale, & corpoream, imo neque in ratione lucis conueniunt, nisi valde analogice. Deinde lumen gloriæ natura sua est quadam virtus intellectualis per modum habitus, vel potestatis, & ideo non ordinatur ad efficiendum, nisi actum secundum, & immanentem videndi, seu intelligendi ipsa autem visio, quæ est vltimus actus, & immanens, non est effectiua alterius qualitatis, ac præsertim corporeæ.

Præterea

Claritas beatorum corporum sub obiecto naturali visui continetur.

Claritas beatorum corporum non immanet principium & causam qua

Præterea illa beatitudo animæ ex se abstrahit omnino à corpore, & communis est Angelis, non est ergo cur illi tribuamus hanc efficientiam. Fit ergo à solo Deo, ut à principali agente. Et in cæteris Beatis credibile est, fieri media humanitate Christi, ut instrumento. Nam de Christo loquitur Paulus, cum scribit ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis sue*: ipse ergo Christus hoc efficiet, vel per voluntatem suam, vel per claritatem sui corporis cætera corpora clarificando. De claritate vero ipsiusmet corporis Christi probabilis est, factam esse mediante anima eius, ut instrumento per virtutem instrumentalem, quā habet ad immutandum corpora, præsertim suum. Neque est improbabile, hanc instrumentalem virtutem communicari cæteris animabus beatis. Quæ ratione posset D. Th. opinio explicari, quamvis verior expositio sit, huiusmodi claritatem dici redundare à beatitudine animæ non physice, sed proportionem quadam, quia animæ existenti in statu ita perfecto, debita est similis, seu proportionalis corporis perfectio. Quam expositio nem attigit etiam Sot. in 4. d. 49. q. 4. ar. 8. ubi tamen immerito dicit, hanc qualitatem non educi de potentia corporis, sed per propriam creationem fieri ex nihilo. Quod nullum habet fundamentum, neque est probabile, quia illa qualitas fit in corpore dependenter ab illo in esse, & fieri. Sed de hoc aliàs.

SECTIO III.

Quomodo Christi corpus post resurrectionem sit factum passibile.

Sensus quæstionis est, an factum sit intrinsece impassibile passione proprie dicta, id est, materiali alteratione, quæ ex se ad interitum, & corruptionem ducit, nam de passione perfectiua & intentionali, satis in superioribus dictum est. Est autem sermo de intrinseca impassibilitate, ita ut corpus illud ex interna dispositione, & capacitate nec pati possit, nec mori, etiam si intra ignem existeret, & ignis finiretur agere, quantum posset, & Deus suum concursum illi non denegaret. Et ratio dubitandi est, quia prima ratio ob quam corpus est passibile, & mortale, materia est: proxima vero est dispositio qualitatum habentium contrarium: sed utrumque principium mansit in corpore Christi post resurrectionem (ut supra ostensum est) ergo non potuit intrinsece fieri incorruptibile: sed solum diuina providentia illud servari. Et quia hæc providentia certa lege, & infallibili statuta est, tanquā debita statui illius corporis, & omnino inamissibilis, ideo dici potest illud corpus non solum nihil actu pati, sed etiam simpliciter impassibile, in sensu composito, ut sic dicam. Quod satis esse videtur ad intelligendas Scripturas, quæ de hac proprietate corporum resurgentium loquuntur, ut est illud, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*: & illud, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*: & inferius, *Neque corruptio in corruptionem possidebit*, quod magis explicat inferius dicens, *Et mortui resurgent incorrupti*: & oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Quæ omnia solum actum, & non internam impotentiam significant. Nec dissimilia sunt alia, in quibus vita æterna hominibus resurgentibus promittitur, Matth. 16. 25. ad Rom. 2. & sæpe alibi.

Propter hanc immortalitatem corporum resurgentium hæretici aliqui negarunt (ut supra vidimus) illa corpora futura esse ex hac materia, ex qua nunc constant: sed ex cælesti. Qui maiori ratione idem dicebant de corpore Christi abutentes illis verbis, Pauli 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus de celo cælestis: qualis terrenus, tales & terreni: qualis cælestis, tales & cælestes*. Sed hæc hæresis satis est in superioribus reiecta. Locus autem ille Pauli explicatus

est late in priori tom. disp. 13. sect. 3. Non enim vocatur Christus *cælestis* propter substantiā corporis, sed vel propter qualitatem, vel propter morum puritatem, ut ibi latius diximus.

Refert autem D. Thom. 1. p. q. 76. art. 7. & infra in hac 3. p. q. 57. art. 3. & in 4. d. 44. quosdam Catholicos asseruisse, quamvis corpus gloriosum constet ex hac materia elementorum: cū illa tamen misceri quandam naturam quintæ essentia, quæ ita temperat totum corpus, ut illud reddat omnino incorruptibile. Videntur autem ij authores sensisse, missionem hanc esse homini connaturalem: tamen in hac vita esse imperfectam, quia in ea elementaris materia prædominatur: in corpore autem glorioso ita perfici, ut illa quinta essentia dominetur, & vincat. Et hæc sententiam indicat Alexand. 3. p. q. 23. memb. 2. ad argumenta. Hæc opinio duobus modis potest intelligi: primo, quod illa quinta essentia, sit aliqua pars substantialis materiæ cælestis: alio modo, quod tantum sit aliqua qualitas propria corporis cælestis, & conferens participationem incorruptionis eius. Prior sensus improbabilis omnino est: imo nec potest intelligi. Primo, quia omnino cōtra rationem est fingere talem materiam, vel in toto, vel in parte, esse connaturalem homini. Quia neque anima rationalis potest informare illam: cum tamen tota sit in singulis partibus suæ materiæ: neque si semel informasset, posset ab illa separari. Nam illa particula non esset capax peregrinæ alterationis: neque illa materia posset in vnum coalescere cum hac inferiori, cum sint diuerforum ordinum. Item esset in homine aliqua pars incapax caloris, & frigoris. Quæ omnia rationi etiam naturali contraria sunt. Secundo, quia etiam si hanc missionem fingamus, cum necesse sit, has partes materiæ esse distinctas, & sub diuersis quantitibus, & dispositionibus, non poterunt partes incorruptibiles sibi similes reddere in incorruptione alias partes constantes ex materia rerum corruptibilium: non erit ergo totum corpus incorruptibile: & superest eadem difficultas, quomodo aliæ partes impassibiles fiant. Quapropter sententiam hanc in hoc sensu existimo alienam à veritate fidei. Repugnat enim aut cum vera generatione, & corruptione corporis humani (si talis portio materiæ fingatur connaturalis illi) aut cum veritate resurrectionis, si fingatur corpus illud postea coalescere ex noua materia, seu missionem materiarum diuersæ rationis, & ordinis.

Posterior sensus huius sententiæ videtur esse ab Alexandro intentus. Dicit enim, corpus hominis participare quandam lucem cœlestem, quæ in corpore glorioso est perfectissima, & simillima ei, quæ est in celo empyreo. Et hic sensus (si recte explicaretur) non esset ita probabilis. Quod enim Alensis dicit, hanc lucem esse connaturalem homini, & disponere corpus ad animæ susceptionem, inauditum est, & incredibile. Quod est enim experimentum huius lucis, vel quod fundamentum ad illam fingendam? Quod item ait, necessariam esse hanc lucem, seu participationem quintæ essentia ad conciliandas elementorum naturas, nullius momenti est. Alioqui omnia mixta deberent esse composita non tantum ex quatuor elementis, sed etiam ex quinta essentia. Elementa ergo non conciliantur formaliter ab aliqua quinta natura, aut qualitate: sed per conueniens temperamentum suarum qualitatum. Si vero ij authores dicerent, hanc cœlestem qualitatem non esse homini connaturalem: sed diuinitus addi glorioso corpori, ut illud reddat impassibile, ferri posset hæc sententia, ut in sequentibus dicemus.

Tertia igitur sententia dicit, in corporibus resurgentium eandem omnino esse materiam, & formā, & easdem qualitates elementares cōnaturales corpori passibili, absq̃ vlla qualitate superaddita, per quam corpus

Philip. 3.

Claritas corporis gloriosi quomodo fluere dicatur ab anima.

Sotus.

Rom. 6.

2. Cor. 15.

Matth. 16. 25. Rom. 2.

1. Cor. 15.

D. Thom.

Alexand.

3. Opinio.

corpus illud reddatur impassibile : & nihilominus corpora illa intrinsecè esse impassibilia, ita vt nec diuidi, neq̃ alterari extrinsecus possint, etiam si Deus prouidentia sua neque extrinseca agentia impediât, neq̃ ordinariū illis concursus neget. Quod si inquiras, ex quo principio intrinsecò proueniat hæc impassibilitas : Respondent, prouenire ex perfecto modo, quo anima in eo statu informabit corpus, qui talis erit, vt à nullo naturali agente superari possit, vel debilitari. Ita opinatur Sotus d. 49. q. 4. artic. 5. & existimat esse sententiam D. Tho. in d. 4. q. 2. artic. 1. q. 1. vbi hanc impassibilitatem ponit in perfecta subiectione corporis ad animam, seu in perfecto dominio animæ supra corpus, quod dominium non potest intelligi, in quo consistat, nisi in hac perfecta animæ informatione. Sanctus etiam Bonau. d. 49. ar. de hac dote q. 2. hanc sententiam ex parte indicat. Distinguit enim duplicem passionem corporis : alterā per alterationē extrinseci agentis naturalis, & hanc negat esse in corpore beato, quia materia eius non appetit aliam formam. Quod certè nequit aliunde oriri nisi ex perfecta informatione formæ, cum aliqui materia secundum se eadem sit. Aliam actionem vocat per violentiam, seu diuisionem quantitatis, de qua infra dicitur. Addit vero Sotus, & indicat etiam D. Th. & ex parte Bonau. q. 1. remanere in corporibus beatis aliquam actionem primarum qualitatum nõ tantum intentionalem, sed etiam materialem. Quia alias (inquiunt) illæ qualitates essent otiosæ, & tollerentur complexiones variorum membrorum.

Sed hæc sententia neq̃ alijs discipulis D. Tho. neq̃ reliquis Theologis placuit, neque mihi videtur satis concipi posse. Et (vt tollatur æquiocatio, quæ ex ultimo puncto oriri potest) aduertendum est, dupliciter posse humanum corpus pati, vel alterari, primo ab extrinsecò agente, secundo ab intrinsecò, quatenus quædam partes alterare possunt alias habentes diuersam temperiem. Certum ergo esse debet, corpus gloriosum neutro modo pati posse, vel minimam alterationem. Nam qua ratione posset vna pars pati ab alia, posset etiam pati ab extrinsecò agente habente similem virtutem. Item quia ex actione intrinseca potest prouenire mors vel infirmitas, seu debilitas sicut ab extrinseca. Et hoc expresse docuit Bonauentura, qui in eandem causam reuocat hanc impassibilitatem membrorum in se, & ab extrinsecò agente, scilicet, quia qualitates, erunt optimè temperare absque appetitu subiecti ad alias qualitates, & cum perfecta influentia, & conseruatione formæ. Sotus etiam aperte fatetur (quod certissimum est) non futuram ibi actionem caloris naturalis in humidi radicali, quæ tamen actio est eiusdem rationis cum quacumq̃ alia alteratione membrorum inter se. Et idem affirmat D. Thom. supra ad 3. Cum ergo hi auctores dicunt, remanere in illis corporibus aliquam actionem harum qualitatum, nescio quid actionis nomine intelligant, nisi fortasse propriam informationem vniuscuiusque qualitatis. Nam calor verè reddit calidam partem illam, cui inhærebit, & sic de alijs qualitatibus. Et hoc est certissimum, idq̃ probatur e ratione. Quia alias essent otiosæ illæ qualitates, si carerent suis effectibus formalibus, imò reuera nõ essent in ipso corpore. Rursus hæc informatio, & nulla alia actio est necessaria ad distinctam complexiōem variorum membrorum, vt per se euident est. Sicut enim diuersa elementa, etiam si inter se non agant, diuersa habent dispositionem, quia diuersa habent qualitates, vel in diuerso gradu, quibus formaliter afficiuntur, ac disponuntur : & similiter diuersa mixta homogenea habent diuersam mixtionem primarum qualitatum, qua formaliter perficiuntur, & quoad temperamentum distinguuntur ante omnem actionem : ita membra humani corporis, eo quod in diuerso gradu ac mixtione habent primas qualitates, quibus formaliter per

Fr. Suarez. tom. 2.

Afficiuntur, ac disponuntur, ideo sunt diuersæ complexiones. Omnino ergo falsum est (quod Sotus ait) has complexiones diuersorum membrorum seruari ex temperata actione harum qualitatum. Melius enim conseruabitur ea distinctio complexionum, remota omni actione, & retento proprio temperamento in singulis membris. Nisi fortasse per actionem intelligat Sotus ipsam informationem : quod & impropriissimum est, & videtur certè alienum ab eius mente. Nam statim probat hanc actionem ex eo, quod si corpus gloriosum tangatur, sentiētur temperatissima illæ qualitates, vt quando Christus dixit, *Palpate & videte*. Quæ ratio (si quid valet) de vera, ac propria actione procedit : cæterum nihil concludit. Primo, quia inde ad summum colligitur posse corpus gloriosum agere in aliud corpus alterando illud : quod non est inconueniens, cum non repugnet impassibilitati eius : posset enim agere sine repressionē : at verò, quod per vnam corporis partem agat in aliam repugnat eius impassibilitati. Secundò, quia prædicta ratio, nec de materiali actione probat. Quia, vt corpus, dum palpat, sentiat, nõ est necessaria materialis alteratio, sed tantum intentionalis immutatio, & potest corpus gloriosum vnam sine altera efficere, atq̃ ita fieri inter corpora gloriosa inter se : quæ omnia in superioribus ostensa sunt. Sit ergo certum, corpus Beati nihil pati posse nec externè, neq̃ internè. Radix vero, seu ratio impassibilitatis, eadem est respectu vtriusq̃ actionis. Quia re ipsa eiusdem rationis est vtriusq̃ alteratio, & procedit à virtute naturali eodem modo actiua, quod S. Th. & Bona. locis citatis recte senserunt.

C Superest ergo vt ostendamus, rationem huius impassibilitatis non posse sumi ex sola perfectione informationis animæ beate. Quod ostenditur primo quia hæc informatio animæ, cum sit de essentia hominis, eadem essentialiter est in corpore glorioso, & non glorioso. Nihil enim essentialiter variatur in homine in vtroq̃ statu, alias non esset idem homo essentialiter. Ac deinde, quia eadem forma in specie semper confert eundem effectum formalem speciem : ergo semper habet eandem causalitatem formalem essentialiter : ergo eandem informationem, quæ non est aliud, quam causalitas formalis. Rursus non solum essentialiter, sed etiam substantialiter, & entitative vtriusq̃ informatio est æquè perfecta, nec potest suscipere magis, aut minus, vt in præcedenti Sectione attigimus. Quia & ipsa anima indiuisibilis est & tota singulis partibus vnita, & vnio etiam ad singulas partes est indiuisibilis secundum intentionem, cum sit modus substantialis. Ergo in ipsa informatione substantiali præcisè sumpta, vt distinguitur ab omnibus accidentibus, & qualitatibus nõ potest intelligi maior, & minor perfectio. Sicut formæ ignis, quia indiuisibilis est intensiue, nec potest intendi, aut remitti : nec magis, vel minus perfecte informare materiam, quo ad ipsam substantialem vnionem. Præterea, licet admittamus hanc maiorem perfectionem in actu informandi, non satis intelligitur, quomodo ratione illius præcisè possit corpus reddi omnino impassibile. Quia illa informatio non tollit à materia capacitatem primarum qualitatum, ergo neque tollit capacitatem extrinsecæ alterationis : sed sola anima non potest illam impedire per seipsam, quantumuis perfecte informet. Quia neq̃ habet formalem impossibilitatem, neq̃ illis per se resistit : & quamuis posset adhibere aliquam resistentiam : posset tamen tanta esse virtus agentis, vt illam vinceret. Quod si dicas, virtute diuina confortare animam ad resistendum omni agenti. In primis iam concludimus, non sufficere solam substantialem informationem quamuis perfectam. Et deinde inquirendum restat, quid sit illa diuina confortatio, & per quid fiat. Nam vel est aliqua intrinseca dispositio, quæ à Deo fit in corpore, vel anima, &

Y y

ma, &

ma, & hoc non potest esse nisi aliqua qualitas, quam haec opinio rejicit. Vel est sola Dei actio, & sic non esset corpus intrinsece impassibile, quod est contra eandem sententiam. Ergo nullo sensu videtur, posse intelligi aut defendi haec sententia, si in sola animae informatione consistat. Si autem aliqua aliam actionem addat non connaturalem animae, sed quandam aliam maiorem illi attributam ex virtute gloriae, potest habere haec opinio alium probabilem sensum, quem D. Thomas intendit fortasse, ut infra explicabo.

4. Opinio.

Quarta opinio, ut difficultatem fugiat, totum id admittit, quod ratio dubitandi in principio proposita concludere videtur, scilicet, corpus Beati esse impassibile, quia Deus statuit non concurrere cum aliquo agente extrinseco ad alterandum illud. Ita opinatur Scotus in 4. dist. 49. quaest. 15. Durand. dist. 44. quaest. 4. Supplementum q. 2. Maior. dist. 49. q. 17. fauet D. Thom. supra, quaestione 49. art. 1. ad 3. dum ait, solam claritatem esse qualitatem intrinsece inhaerentem corpori glorioso. Quod verò alij adiungunt, corpora gloriosa fore incorruptibilia solum propter cessationem motus caeli, quo cessante nihil possunt effigere agentia naturalia: hoc (inquam) valde friuolum est. Tum quia Christi corpus non esset nunc impassibile: tum etiam quia illo modo etiam corpora damnatorum essent impassibilia naturaliter: nec impassibilitas esset supernaturalis dos, sed quid consequens necessitatem naturae in omnibus corporibus. Denique, quia illa dependencia omnium agentium naturalium à motu caeli ficta est sine fundamento, ut in libris de caelo latius differitur. Scotus igitur, & reliqui Theologi solum mouentur (ut dixi) quia hic modus est sufficiens, & facilis: omnes vero alij modi vix possunt intelligi. Quod si obijcias, quia hoc modo non magis erunt impassibilia corpora in beatitudine, quam fuissent in statu innocentiae, quod est contra Augustinum epistol. 56. Respondent negando sequelam. Intercedit enim multiplex differentia. Prima quod in statu innocentiae aliquid poterat corpus pati ab intrinseco, poterat enim augeri, & nutriri, quod non fit sine aliqua alteratione, & ideo indigebant cibo ligni vitae, quo restaurarentur. Secunda quia in eo statu agentia extrinseca non erant omnino priuata virtute vel concursu ad alterandum humanum corpus. Nam si proiectum fuisset in ignem reuera combureretur, sed diuina providentia ita erant omnia disposita, ut possent homines cauere vniuersam huiusmodi extrinsecam corruptionem, seu passionem. At vero respectu corporis beati agentia omnia sunt priuata virtute, & concursu ad alterandum humanum corpus, ita ut etiam si corpus beatum ingrediatur ignem, comburi nequeat. Tertia, quia in statu innocentiae poterant homines perdere illud priuilegium peccando: & ideo, licet possent non mori, non tamen erant immortales (ut Augustinus dixit) at verò in vita beata hoc donum amitti non potest, & ideo dici potest humanum corpus simpliciter impassibile & immortale. Haec sententia sic explicata non potest euidenti argumento conuinci falsitatis: tamen imperfectissimo modo explicat hanc dotem. Imò (ut Diuus Thomas argumentatur) hoc modo explicato vix meretur nomen dotis. Quia non est perfectio ipsius corporis, seu potius defectus extrinseci agentis, & corruptentis. Quod praeterea non videtur satis consentaneum Paulo dicenti, *Operetur mortale hoc induere immortalitatem*. Nam induere immortalitatem in rigore aliquid amplius significat, quam extrinsecam protectionem Dei impedientis extrinseca agentia. Praeterea aliter est corpus Christi impassibile post resurrectionem, quam dum mortuum iacuit in sepulchro: at in sepulchro erat incorruptibile per extrinsecam Dei providentiam, quae statuerat non permittere, ut corpus illud in cineres redigeretur, aut in elementa, vel in aliquid aliud resolu-

Scot.
Durand.
Sup Gab.
Maior.
D Thom.

August.

August.

1. Cor 15.

digeretur, aut in elementa, vel in aliquid aliud resoluatur. ergo. Denique hi auctores non videntur alia ratione hunc modum eligere, nisi quia omnis alius impassibilis eis visus est. Nam si fieri posset per intrinsecam dispositionem corporis, non est dubium, quin talis modus sit magis consentaneus modo loquendi Scripturae, magisque decens, atque conformis status beatitudinis. Si ergo ostenderemus, alium modum esse possibilem, id satis erit ad hanc quartam sententiam impugnandam.

Quinta ergo sententia est Beatum esse impassibilem non propter solam protectionem Dei extrinsecam nec propter aliquam qualitatem inhaerentem: sed propter dominium animae in corpus, quod dominium non consistit in modo informandi (ut tertia opinio dicebat) sed in hoc, quod sicut omnes actiones corporis subduntur voluntati animae, ita & omnes passionibus: & ideo, sicut corpus non agit, nisi quando anima vult, ita nec patitur nisi ipsa volente: nunquam autem vult neque velle potest propter rectitudinem talis voluntatis, & ideo absolute nihil pati potest, ex intrinseca perfectione, ac potestate. Et haec sane videtur mens D. Th. supra. Ponit namque hanc impassibilitatem in dominio animae supra corpus, quod perfecte (inquit) erit subiectum animae rationali, sicut ipsa perfecte subiecta erit Deo. Et hoc saepe repetit in utraque quaestione, & in solutionibus argumentorum.

Dices, hanc sententiam sic explicatam re ipsa coincidere cum praecedenti. Quia nos quoque supra diximus, hoc dominium Beati supra actiones suas naturales non posse aliter explicari, nisi per suspensionem diuini concursus, videlicet, quia quando Beatus non vult agere per aliquam qualitatem, vel naturalem facultatem, Deus non praebet illi concursum ad agendum: ergo multo minus potest intelligi hoc dominium ad non patiendum per solam voluntatem nisi quatenus stante illa voluntate DEVS non praebet concursum alijs agentibus, ut passionem inferant tali corpori. Quia hoc secluso non potest sola voluntas impedire actionem, quandoquidem nec minuit vires agentis, nec tollit concursum debitum nec materialem subiecti capacitatem, nec debitam distantiam, neque aliquam aliam conditionem necessariam ad agendum. Quod si hoc ita est, sine causa tribuitur hic effectus dominio animae: quia non est positus in animae voluntate, & arbitrio, sed certa, & infallibili Dei lege definitus independenter ab animae voluntate. Eo vel maxime, quia cum ipsa aliud velle non possit, impertinens est hoc dominium.

Responderi potest, non esse hoc dominium in sola extrinseca protectione, sed in potestate data animae beatae ad conseruandas dispositiones sui corporis tanta efficacia, ut à nullo extrinseco agente possint immutari. Est enim considerandum, actionem naturalis agentis impediri posse ex alterius resistentia. Rursus haec resistentia duplex esse potest, altera quasi formalis, quae est per qualitatem formaliter repugnantem, atque ita adhaerentem subiecto, ut à virtute actiua superari non possit: alia est effectiua, ut quando calor, verbi gratia, subiecti actu conseruatur ab igne praesente, quia propter resistentiam conseruantis non potest expelli tam facile à contrario agente. Denique considerandum est, animam informantem corpus praeter causalitatem formalem, quam habet in illud, posse habere causalitatem effectiuam circa dispositiones, & temperamentum illius, quae actio aliquo modo est naturalis, saltem per modum cuiusdam resultantiae seu emanationis naturalis, qualis etiam est in forma ignis, vel aquae respectu sui caloris, vel frigoris. A qua actione (ut opinor) prouenit, ut calor, vel frigus difficiliter expellantur ab igne, vel aqua, quam ab alijs peregrinis subiectis. Sic igitur intelligi potest, da-

5. Opinio.

Impassibilitas in corpore glorioso ex dominio animae beatae, propter ipsius praesentiam, quod modo possumus.

Resistentia agentis naturalis duplex.

test, datam esse vim animæ Beatæ ad conseruandam dispositionem naturalem sui corporis non sola actione illa naturali: sed alia maiori, & efficaciori, quæ à nullo naturali agente vinci queat. Quod hoc exemplo explicari potest. Si superior Angelus tota sua efficacia corpus aliquod alicubi sistere faciat, non poterit ab Angelo minoris virtutis moueri.

Quia resistit alius Angelus non formaliter, sed effectiue, aut si actionem ad passionem formaliter comparare velimus, actio superioris agentis ita resistit formaliter passioni inferendæ ab inferiori, vt illa fieri non sinat. Sic ergo intelligi potest anima tanta efficacia, talique actione conseruare dispositionem sui corporis, vt ex vi illius nullam in eo passionem fieri permittat: & hoc vocauit Diuus Thomas *Dominium animæ supra corpus*. Quod si inquiras, vnde proueniat talis actio, tantaque animæ efficacia, cum non sit illi naturalis. Respondetur primum actionem hanc fieri ad modum miraculose actionis, quæ non requirit virtutem superadditam, sed specialem Dei concursum eleuantis creaturam, vt operetur tanquam instrumentum eius. Qui modus operandi interdum datur permanenter, sicut datus est humanitati Christi, & datur Beatissimis quoad aliquas actiones, vt dictum est supra, & in sequentibus videbimus. Deinde adiungi potest qualitas aliqua corpori superaddita, quæ ad hunc etiam effectum conferat, vt iam dicemus. Quocirca hæc sententia sic exposita probabilis, & D. Thomæ consentanea visa est.

Sexta & vltima sententia est, corpora Beatorum fieri impassibilia per qualitatem aliquam illis à Deo infusam, ipsisque inherenter, ratione cuius sunt incapacia omnis alterationis corruptiue. Ita docuit Richard. disp. 49. artic. 4. quæ. 2. in eandem inclinat Paludani. distinct. 44. q. 2. & laus Capreol. q. 2. artic. 3. & citatur Augustinus. epist. 56. ad Dioscorum. Sed ex illo nihil certi colligi potest: nam etiam in contrarium refertur epistol. 146. ad Consentium. in vtroque autem loco generalibus verbis utitur, quæ possunt facili in veramque partem explicari. Ratio vero huius sententiæ est, quia non est impossibilis talis qualitas. Cur enim? aut quæ potest afferri repugnantia aut contradictionis implicatio? Non enim dicemus hanc qualitatem esse ex ijs, quæ sunt connaturales corpori humano, sed altioris cuiusdam virtutis, ac ordinis. Deinde potuit Deus conferre celestibus corporibus qualitates quasdam eis connaturales, quæ vim habeant efficiendi vel omnes, vel multas qualitates inferiorum corporum: cur ergo non poterit efficere in corpore humano aliquam superiorem qualitatem, quæ vim habeat resistendi qualitatibus inferioribus.

Dices: Qui potest intelligi vt vna & eadem qualitas resistat qualitatibus contrariis calori scilicet, & frigori? Deinde illa qualitas simul erit in corpore cum calore, & frigore, cur ergo resistet, ne ab extrinseco imprimantur? Quod si dicas posse esse cum illis in tali gradu, qui est connaturalis homini, non tamen in maiori. Contra. Nam hic gradus non est idem in omnibus membris Corporis humani. Tandem cum hæc qualitas dicatur esse superioris ordinis non apparet, cur formaliter repugnet cum quibusvis qualitatibus, quæ recipi in materiam possunt. Sed hæc non sunt adeo difficilia, vt propterea cogamur, negare hunc modum impassibilitatis esse possibilem. Nam in primis non arctamur ad vnam, & inuariabilem qualitatem. Nam si ad resistendum omnibus contrariis vna qualitas non sufficit, plures autem sufficiant, DEVS illas infundet. Deinde in eis intelligi potest varia perfectio, & intensio, ita vt in vno gradu secum admittat tale temperamentum primum qualitatum & non aliud: in alio vero gradu admittat aliud temperamentum:

A atque ita fiet, vt hæc qualitas non sit in omnibus membris corporis humani in eodem gradu, ac perfectione: sed vnicuique accommodetur, prout ad conseruandum vniuscuiusque temperamentum, necessarium est. Præterea resistentia, quæ fit per hanc qualitatem, intelligi potest, vel per modum efficientiæ (vt in præcedenti sententia explicuimus) vel per formalem repugnantiam. Cum enim hæc qualitas afficiat ipsum corpus, fieri potest, vt natura sua secum non admittat alias qualitates, etiam si sit altioris speciei, vel ordinis. Hanc denique sententiam videtur docuisse D. Thom. 1. part. quæstion. 97. artic. 1. vbi distinguit tres modos incorruptibilitatis. Primus est ex parte materiæ, quia scilicet tales res, vel carent materiæ, vel si ea prædita sunt, non tamen eiusdem rationis cum materiæ rerum corruptibilium, & hoc modo sunt incorruptibiles Angeli, & celi, non autem homines. Secundus modus est ex parte formæ, vt quando rei natura sua corruptibili inhæret aliqua dispositio, per quam totaliter à corruptione prohibetur. Tercium modum appellat ex parte causæ efficientis, qui proprie esse videtur, quando res tam ex natura sua, quam ex intrinseca dispositione corruptibilis præseruatur à corruptione remouendo omnes causas efficientes corruptionem, & applicando causas conseruantes. Et hoc tertio modo dicit, fuisse homines immortales in statu innocentie, per virtutem quandam animæ inditam. Quæ non est intelligenda, ac si esset aliqua virtus physica naturaliter resistens extrinsecis agentibus, vt videntur intellexisse, & Caietanus ibi, & Scotus in 2. distinct. 19. quæstion. 1. sed est intelligenda virtus, & discretio animæ ad cognoscendum quid possit prodesse, aut obesse corpori, & magna, virtus ac prudentia ad vitandas omnes corruptionis causas. Hoc enim sensu optime, ac facili intelligitur illa vis animæ, quæ inter dona gratiæ, & institutiæ originalis à Diuo Thoma ibi numeratur, eo autem modo, qui à Caietano ponitur, vix potest concipi, vt Scotus etiam obiecit, quamuis falsa nixus in interpretatione. Secundum corruptionis modum tribuit D. Thomas corporibus gloriosis, scilicet per dispositionem inherenter, quæ non potest intelligi, nisi aliqua qualitas, vel plurium qualitatum aggregatio. Vocat autem hanc incorruptionem ex parte formæ, non quia formæ inhæreat, sed vel quia hæcmet dispositio est quedam forma inherens corpori, vel certe, quia datur corpori ratione formæ, seu animæ Beatæ. Quem sensum indicant verba Augusti. (quem statim D. Thomas citat.) *Tam potens natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor.*

Ex quo discursu Diui Thomæ patet responsio ad rationem dubitandi initio positam. Nam licet in corpore glorioso manet eadem materia, idemque temperamentum ex qualitatibus contrariis, inde solum fit, corpus illud in nuda natura sua consideratum, esse corruptibile, & in beatitudine retinere quasi causam remotam, seu naturalem radicem corruptionis: nihilominus tamen secundum proximam dispositionem intrinsecam esse incorruptibile, & impassibile. Quia affectum est alia quadam perfectione, quæ ex se potest impedire, ne illa naturalis corruptibilitas in actum reducatur. Diuiditur autem hæc vtutemque satisfaciunt respectu illius corruptionis, quæ est per alterationem naturalem: non vero respectu illius, quæ est per violentam diuisionem. Respondetur primum ex Bonaventura supra corpus Beati alia ratione habere, vt diuidi non possit, ex dote subtilitatis. Quia cum sit peruium, & penetrari possit cum quolibet alio corpore sibi occurrente, non potest ab eo diuidi, quia non resistit, quominus in eundem locum intret. Diuisio enim solum fit propter resistentiam, & expulsionem

Impassibilitas in corporibus gloriosis unde oritur.

Caietani Scot.

D. Thom. August.

Responsio ad argumenta in oppositum

Obiecta.

Responsio Bonauent.

6. Opinio valde probabilis. Richard. Palud. Capreol. August.

Obiectio.

Responsio.

tionem à tali loco. Sed potest obijci, quia licet Beatus possit ex dote subtilitatis non resistere alteri corpori, sed penetrari cum illo: tamen etiam potest non vti hac dote, & expellere aliud à suo loco, ergo tunc posset diuidi gladio. Idcirco addendum est, fortasse ex vi prædictæ qualitatis, & internæ dispositionis ita conseruari, & quasi solidari corpus Beati, vt quantitas eius diuidi non possit ab extrinseco agente. Sic ut cæli quæritas, licet sit eiusdem rationis cum quantitate elementorum: tamen ratione subiecti, vel dispositionum ita conseruatur, vt diuidi non possit. Adde denique, per dotem agilitatis tam esse potens gloriosum corpus ad retinendum locum, vbi se constituit, vt à nullo agente creato dimoueri possit. Et ex hoc etiam capite nihil potest per diuisionem pati, quia diuisio, quæ fit ratione corporis subintrantis, intelligi non potest sine mutatione locali, vel destructione corporis diuisi. Quapropter, remota omni alteratione, & diuisione locali, nulla superesse potest passio per diuisionem.

Dubium.
D. Thom.
Responsio

Vltimo ex dictis definitur alia quæstiuncula, quæ D. Thom. supra attigit, an hæc impassibilitas sit æqualis in omnibus Beatis. Dicendum est enim quoad negationem, & priuationem esse æqualem, vt ex dictis constat: tamen quoad causam ait D. Thomas esse inæqualem. Quod potest intelligi vel ratione gloriæ, & meritum, quæ est prima radix huius dotis vel ratione illius qualitatis, seu dispositionis positivæ, quæ pro ratione meritum magis, ac minus perfecta esse potest. Sicut cæli, vel Angelicæ sunt incorruptibiles, quoad carentiam passionis contrariæ: natura vero positiva, in qua hæc priuatio fundatur, perfectior est in vno, quam in alio.

SECTIO IV.

Quid sit agilitas corporis Christi, & quis effectus eius.

Dos agilitatis quid sit.

Agilitatis dotem (vt ipsum etiam nomen præfert) omnes Theologi explicant per modum cuiusdam facultatis ad motum localem expeditè, velociter, ac faciliè exercendum. Quam nominis rationem, seu descriptionem apertè quoque conuincunt omnia Scripturæ, & Sanctorum testimonia, quibus supra probauimus, esse in corpore glorioso hanc dotem agilitatis. Neque in hac generali ratione est vlla difficultas, tota vero posita est: tum in explicanda illa facilitate, vel perfectione localis motus seu mutationis, quam præbet hæc agilitas: tum etiam in explicando modo, quo confert hunc effectum: ex quo etiam constabit, quid sit hæc facultas. Potest autem in humano corpore triplex esse motus localis. De hoc enim semper erit sermo. Primus est progressus, qui procedit ab anima operante per cognitionem, & appetitum: exercetur autem per membra corporis, mouendo vnam partem mediante alia, & consequenter prius vnam, quam aliam: in quo propterea motu necessarium etiam est, vt aliqua pars quiescat, dum alia mouetur. Secundus motus vocari potest simplex, quo totum corpus veluti vno impetu æquè primo citius, sicut mouentur grauius, leuius, & proiecta. Tertius motus, vel mutatio intelligi potest, qua corpus ab vno loco in aliud subito transferatur absque vlla successione, vel mora in spacio medio. De his ergo omnibus sigillatim videndum est: an sint in corpore beato, & quomodo per dotem agilitatis pertineant.

Motus localis quomodo simplex.

Principio igitur, potuisse Christum post resurrectionem motu progressiuo mouere corpus suum, in superioribus diximus, estque de fide certum. I-

dem est de omnibus Beatis post resurrectionem: & dubium etiam non est, quin ventur interdu hac facultate, & mouebuntur hoc modo suo arbitrio. Denique omnes etiam Theologi docent, habituros Beatos summam quandam facilitatem in hoc motu exercendo. Nam hoc apertè significant Scripturæ, quæ de Beatorum agilitate loquuntur, vt supra ostensum est. Videtur autem hæc facilitas in duobus consistere, primo, quod nullum laborem, vel lassitudinem sentiant: vnde fiet, vt quandiu voluerint, possint in hoc motu durare. Quod significatum est illis verbis Isai. capit. 40. *Current, & non laborabunt, Isai. 40. ambulabunt & non deficient.* Et hoc totum manifestè prouenit ex impassibilitate, à qua nascitur, vt per huiusmodi motum nihil alterentur membra corporis, nec relaxentur, nec spiritus dissipentur. Quapropter hac in re nulla est difficultas. Secundò consistit hæc facilitas in maiori velocitate motus, quæ significatur illis verbis Isaiæ, *Assument pennas, sicut aquila: & illis Sap. 3. Tanquam scintille in arundine to current.* De hac igitur est difficultas, vnde proueniat. Velocitas enim motus est quædam maior perfectio actionis, seu modi agendi, quæ prouenire potest, vel ex augmento virtutis motiue, vel ex ablatione repugnantia, seu resistentia mobilis, vel ex vtroque capite.

Prima ergo sententia est, Beatum habere virtutem velocius se mouendi per solam ablationem resistentia, quæ prouenit ex grauitate corporis: & quia non videtur auferri posse resistentia, nisi auferatur ipsum met pondus, & grauitas, ideo consequenter asserit hæc sententia, auferri à corpore glorioso grauitatem. Hunc modum dicendi indicat Bonau. d. 49. art. vltim. q. 2. ad 1. & eum vt probabilem referunt Durand. Paludan. Maior, & alij, ipsi tamen id diffinitè non affirmant. Neque mihi potest vlla ratione probari, non quia existimem implicare contradictionem conseruari corpus humanum sine grauitate (hanc enim repugnantiam non inuenio) sed quia hæc grauitas est naturalis proprietas necessario consequens complexionem, & compositionem, corporis humani. Dictum est autem supra, futurum esse in humano corpore omnes naturales corporis facultates, & proprietates. Alioqui esset illud corpus monstruosum, & præter naturam: sicut si corpus illud non esset solidum, aut non haberet quædam partes duriores, vel densiores alijs, non esset conuenienter dispositum: ergo idem est de grauitate, quæ non minus est intrinseca qualitas, & necessario consequitur ex tali temperamento, densitate, ac duritie. Sine dubio ergo dicendum est, qualitatem illam, quæ est grauitas, manere in corpore beato. Deinde, ad hunc effectum non sufficeret ablatio grauitatis. Quia virtus motiua animæ definita est ad aliquam velocitatem motus non tantum ex resistentia contrarii, sed ex se, quia imperfecta est, & finitè virtutis limitata ad talem modum agendi. Sicut quæuis terra descenderet deorsum absque vlla resistentia medijs, vel alterius corporis extrinseci, nihilominus & in tempore, & cum determinata velocitate descenderet, quia grauitas habet determinatam efficaciam ex se. At corpus Beati in hoc genere motus non est determinatum ad certam velocitatem, sed quacunque signata potest agi cum maiori (vt aliqui volunt) vel (quod probabilius videtur) licet ad aliquam terminetur, illa videtur esse multo maiori, quam per solam vim motiui naturalem fieri possit, vt ex modo loquendi scripturæ non obscure colligitur: ergo necesse est dicere, ipsammet vim motiui aliquo modo augeri.

Dicendum est ergo, ad agilitatem in hoc motu in primis requiri, virtutem ipsam actiuam motus augeri, siue hoc sit per additionem alicuius qualitatis, siue per solum maiorem Dei concursum ventis animæ vel corpore Beati vt instrumento ad hunc effectum

Facilitas corporis gloriosi in motu locali progressiuo.

Durand. Palud. Maior. Bonauent. Corpore beatorum naturalium est grauitas.

Agilitas in motu progressiuo beatorum corporum uide promouens.

fectum naturales vires superantem, de quo postea dicemus. Deinde addi potest, ad hanc velocitatem etiam iuuare optimam dispositionem corporis, & organorum eius. Ex hac enim multum pendet facilitas motus. Erit autem hæc optima dispositio in corporibus beatis, quod membra omnia habebunt & qualitates omnes, & quantitatem, ac figuram naturæ suæ maximè accommodatam: habebunt quoque spiritus vitales perfectissimos, & purissimos, neque erit in eis aliquod extrinsecum impedimentum, quale nunc interdum esse solet in nobis propter redundantiam humorum, vel exhalationum seu saporum, quæ multum interdum impediunt corporis agilitatem. De naturali autem pondere, grauitate corporis probabile est, quod Durandus dicit, quamuis qualitas ipsa maneat in corpore beato: tamen diuina virtute impeditur, ne resistat actualiter inclinando ad locum contrarium. Sicut, quando corpus penetratur cum alio in eodem loco, licet neutrum priuetur propria quantitate, diuina tamen virtute fit, ut sibi non resistat. Dices: Hæc actualis inclinatio est effectus formalis ipsius grauitatis, ergo non potest impediiri manente grauitate. Respondetur negando antecedens, si loquamur de proxima, & actuali inclinatione, à qua prouenit resistetia, & retardatio motus. Hæc enim non formaliter, sed effectiue prouenit à grauitate. Sicut enim sublata efficientia, grauitas non moueret lapidem deorsum, ut verbi gratia, si Deus suum concursum suspenderet, ita eadem efficientia, omnino sublata lapis non resisteret subleuanti illum sursum uel mouenti. Quia non resistit, nisi in quantum effectiua est contrarij motus, uel quietis, seu permanentiæ in contrario loco: nam hinc fit, ut retardet talem motum. Vel secundo dici potest, etiam si ex parte grauitatis maneat aliqua resistentia: virtutem tamè motiuam tantam esse, ut ea non obstante possit velocissimum motum agere. Sicut, si terra moueatur sursum ab Angelo, resistit quidem quantum potest sua grauitate, nihilominus propter Angeli virtutem potest summa velocitate cieri. Tota ergo difficultas huc reuocatur, ut videamus quomodo virtus motiua in corpore beato augeatur, quod simul cum puncto sequenti explicatur.

Gravitatio corporum quomodo resistat, & retardet velocitatem motus.

Durand.

Scot.

Secundo dicendum est de altero genere motus, quo veluti vno impetu totum corpus se mouet æque primo. De quo Durand. d. 4. q. 7. negat huiusmodi motum esse in corporibus beatis, & contrarium dicit esse fictitium, & inopinabile. Veitur autem ratione valde infirma, scilicet, quia oportet distinguere partem mouentem à parte mota, ergo si non sit motus vnus partis organicæ per aliam, oportet, ut anima sit mouens, & corpus motum, unde, cum in homine non sit alia forma præter animam rationalem sola materia erit mota. Secundo argumentatur ad hominem contra Scotum loco statim citando. Quia in corpore glorioso non erit noua virtus motiua, quæ non sit naturalis homini, seu animæ etiam informati corpus corruptibile, sed virtus ad mouendum corpus hoc modo non est homini naturalis, neque conueniens animæ informanti corpus corruptibile ut constat tum experientia, tum etiam, quia natura non dedit corpus aptum, & dispositum ad hunc motum, sed tantum ad progressiuum.

Sap. 3. Corpus beati vno veluti impetu moueri per spiritum aquæ primo potest.

Nihilominus hæc Durandi sententia parum probabilis est. Nulla est enim ratio, cur gloriosis corporibus hunc motum denegemus. Præsertim cum scripturæ maiorem agilitatem, & velocitatem illis tribuere videantur, quam possit commode inueniri in motu progressiuo, ut indicant illa verba, *Quasi scintilla in arundine discurret.* Præterea quando corpus gloriosum ascendit in cælum non fertur ab Angelis (esset enim magna imperfectio, si ipsum sua vi ascendere non posset) ille autem motus non est progressiuus. Neque enim verisimile est (quod

Fr. Suarez. tom. 2.

A quidam fingunt) ascendere gradiendo per aera tantam per scalam. Nam (esto) hoc non repugnet, quia potest corpus gloriosum non impellere, neque diuidere aerem, atque ita illo niti, seu sistere secundum vnā partem, ut secundum aliam ascendat, & ita successiue perficere ascensum: tamen magna imperfectio esse videtur, quod Beatus coarctetur ad hunc modum ascensus. Et in spheris cælestibus, cum illuc ascendat sine diuisione cæli per solam penetrationem, vix potest commodè intelligi huiusmodi motus. Denique ratio Durandi nullius est momenti, tum quia, licet demus virtutem motiuam esse in sola anima, non inde fit, solam materiam moueri, sed totum compositum, & ea distinctio sufficit inter mouens & mobile. Tum etiam quia quamuis admittamus, hanc virtutem esse in corpore informato ab anima, posset per illam moueri. Quia non est necessarium simpliciter, ut virtus, quæ est principium motus, & ipse motus sint in distinctis subiectis, præsertim quando illa virtus ab intrinseco agente indita est. Secunda vero ratio Durandi, ad hominem quidem est efficax: non tamen simpliciter. Procedit enim ex falso fundamento, ut iam ostendam. Et hanc sententiam tenent Scotus, Paludanus, & alij.

Scot. Palud.

Merito tamen inquirunt, qua virtute possit Beatus hoc modo mouere corpus suum. In qua re duæ sunt opiniones extremæ: Prima affirmat, Deum solum esse, qui efficit hunc motum, vel claritatem eius, quatenus vires supernaturales superat. Quod censet probabile Maior d. 49. q. 18. & Suppl. d. 44. q. 2. art. 2. Sed non est sententia hæc consentanea sanctis Patribus, qui non solum dicunt motum corporis gloriosi fore velocissimum, sed etiam ipsum corpus futurum esse agile, ac velox, sicut spiritum: non dicitur autem corpus velox, solum quia possit ab alio moueri. Item semper ita loquuntur, ut dicant, illa corpora posse se mouere: quin potius Isaias c. 40. aperte ita loquitur, *Assument pennas, &c.* ut supra cum sanctis Patribus poterauimus: hæc autem verba significant internam vim, & non tantum motionem ab extrinseco. Quod etiam confirmant illa verba Pauli i. ad Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute:* ubi videndus est D. Thomas.

Secunda sententia affirmat, hunc motum corporis gloriosi, & omnem velocitatem eius, prouenire ab interna virtute conaturali homini. Hanc autem virtutem aliqui tribuunt corpori, ut Alensis, & alij: qui fingunt in humano corpore missionem quintæ essentiæ, cuius vim dicunt prædominaturam in corpore glorioso, & ab illa prouenire hanc vim mouendi. Ita refert D. Tho. q. 56. ar. 3. Sed hæc opinio per se est improbabilis, ut in superioribus ostensum est. Scot. verò d. 4. q. 14. dicit, hoc fieri naturali virtute animæ. Existimat enim animam habere virtutem ad mouendum corpus non tantum organicè: sed etiam alio genere motus. Quod hac ratione suadet, quia anima separata potest seipsam mouere: tunc autem non se mouet organicè: ergo etiam, quando informat corpus, habet eandem vim mouendi, & seipsam, & corpus coniunctum: sicut Angelus, potest mouere corpus assumptum, vel imitatio motum progressiuum, vel simpliciter, & æquè primo totum corpus mouendo. Quod si inquiras, quænam sit hæc virtus, & quomodo non experiamur illam in corpore corruptibili, respondet re ipsa esse eandem cum virtute, qua mouemur motu progressiuo, quia non oportet multiplicare potentias sine causa. Dicit tamè hanc virtutem ita esse in anima informante corpus corruptibile, ut non equè dominetur omnibus partibus corporis. Quia non omnes sunt æquè dispositæ ad motum, neque æquè propinque, seu immediatæ virtuti motiue, ideo prius mouetur pars melius disposita, & propinqua, & per illam mouetur alia, & ita causatur progressiuus motus. At in corpore glorioso omnes partes sunt æquè dispositæ, & recipi-

Yy 3

dum

dum motum, ideoque æquè primo poterunt moueri eadem virtute omnes. Quod si virgeas, etiam si admittatur hæc virtus naturalis, illam esse imperfectam, & insufficientem, ad tantam velocitatem, & agilitatem: respondet, illam virtutem naturalem intendi usque ad illum gradum, in quo possit eum effectum efficere, sicut intenditur, inquit virtus visiva & alia. Sed in hac sententia Scoti multa displicent. Primum sine fundamento dicit, posse animam informare corpus naturali virtute totum illud mouere æquè primò. Id enim repugnat experientiæ, & naturali compositioni corporis, & membrorum eius. Argumentum vero desumptum ex anima separata non est efficax. Quia licet verum sit, animam separatam posse se mouere sine organis, non inde fit, eodem modo posse mouere corpus coniunctum. Fieri namque potest, ut non habeat tantam virtutem supra corpus sicut supra seipsam: Item quia non potest mouere corpora sola voluntate, sicut potest Angelus, & ideo, quando mouet corpus, quod informat, id prestare non potest, nisi modo tali corpori accommodato, scilicet organicè mouendo vnam partem mediante alia. Præterea, quod Scotus inquit, quasi per accidens esse, ut nunc anima moueat corpus tantum motu progressiuo propter membrorum indispositionem, alienum videtur à vera philosophia. Quia considerata naturalis hominis dispositione, & compositione non est per accidens, sed intrinsecè ac per se humano corpori sic moueri. Nam ex primaria institutione naturæ, ipsa membra corporis sunt ad hunc motum accommodata, & non ad alium. Neque fingi potest, quod sit illud impedimentum, aut indispositio, quæ dicitur esse in membris humani corporis in statu corruptibili, aut in statu innocentie, in quo erat corpus optimè temperatum secundum dispositionem naturalem. Rursus, vel illa virtus motiua est in sola anima, vel aliquo modo est in membris, & per quædam principaliora deriuatur ad alia. Si dicatur prius: ergo hæc virtus æquè immediatè est applicata omnibus membris: ergo, quod vnum moueatur prius quam aliud, non provenit ex propinquitate, siue distantia, neque ex defectu alicuius dispositionis, ut Scotus fingit. Si vero dicatur posterius: ergo ille ordo, & modus motus non est per accidens, sed per se: cumque illa dispositio sit naturalis homini, manebit etiam in corpore beato. Tandem quod Scotus ait, hanc vim motiuam sine progressiuo motu, sine alio, perfici in corpore glorioso per modum intensionis, falsum est, & idem censo de visu, & quacunque simili potentia. Ratio est, quia hæc potentie sunt natura sua indiuisibiles: ergo non possunt augeri per intensionem, alioqui etiam intellectus, & voluntas possent intendi.

Prior modus
deklarandi
docem agili-
tatis.

Obiectio.

Responsio.

Obiectio.

Responsio.

Duobus ergo modis intelligere possumus cõferri Beato hanc virtutem ad mouendum corpus suum hoc genere motus, & eiusdè intelligendum est posse augeri virtutem ad progrediendum velocius. Primus modus est, quod anima Beati supernaturalem vim habeat, ut sua voluntate, & efficacia moueat suum corpus hoc genere motus & maxima velocitate. Dices, Si hæc efficacia non est animæ connaturalis, quid illi additur, quo illam habeat de nouo in corpore glorioso? Nam sola non repugnantia, seu optima dispositio corporis non satis est sine virtute effectrice. Respondetur intelligi posse communicari hanc virtutem eo modo, quo intelligitur communicari virtus miraculorum effectrix, videlicet ut statuerit Deus uti hac voluntate ut instrumento ad efficiendum hunc effectum, dando illi concursum ad hunc modum agendi accommodatum, quoties ipsa voluerit. Dices, Ergo iuxta hunc explicandi modum hæc agilitas non erit aliqua dos intrinseca Beato: sed tantum extrinseca motio Dei veluti certa lege præparata, seu promissa. Respondetur verum esse iuxta hanc explicationem agilitatem non addere qualitatem actiuam, non tamen propterea dicenda est ex-

trinseca tantum motio seu denominatio, quia ille effectus non tantum à Deo fit: sed ab ipsa anima per virtutem intrinsecam, non merè naturalem, sed obedientialem actiuam. Sicut virtus miraculorum non est denominatio extrinseca: sed aliquid intrinsecum cum præparatione diuini auxilij. Et hic modus explicandi videtur consentaneus Aug. 13. de Ciui. c. 18. vbi inquit, *Sanctorum perfectos atque beatos spiritus diuino munere sine difficultate posse ferri quo voluerint, & sistere, vbi voluerint.* Et idè fere repetit li. 22. c. 11. Qui bus locis in hoc sensu dicit, beata corpora non habere graue pondus, quo deprimantur, non quia priuètur qualitate aliqua naturali, sed quia per illam non resistunt, quominus ad nutum voluntatis obediunt. Et huc modum dicendi sequitur Sotus 4. d. 49. q. 4. ar. 7.

August.

Sotus.
Maior.
Sup. Gab.

Secundus dicendi modus est, ut hæc virtus actiua motus sit aliqua qualitas indita corpori beato, quæ natura sua habeat vim efficiendi motum ad quamcunque loci positionem, quamuis illius efficacia pendeat à voluntate Beati eo modo, quo supra dictum est de omni alia efficientia. Atque hæc sententiam videtur amplecti D. Thom. d. 49. q. 2. ar. 3. quæ. 1. vbi dicit, hanc agilitatem esse perfectionem fluentem ab anima glorificata in corpus, quæ illud reddit habile, ut obediatur animæ ut motori, vbi aperte ponit qualitatem. Nec potest intelligi de qualitate quæ tantum passiuè disponat corpus ad suscipiendū motum. Nam si in sola anima esset efficiens virtus actiua, non esset necessaria in corpore noua qualitas, aut dispositio præter temperamentum optimum, & ablationem omnis impedimenti intrinseci: cum ergo in corpore qualitatem requiratur, necesse est, eum lo-

D. Thom.

Richar.
Bonauent.
Palud.

qui de qualitate actiua. Et idem sequitur Rich. ibi artic. 4. q. 7. significat Bonauent. in vlt. ar. illius d. clarior & latius, Palud. dif. 4. q. 4. Et ratio adiungi potest, quia quando effectus fieri potest per virtutem intrinsecam natura sua proportionatam, Deus præbet illam: motus autem localis, & velocitas eius, licet interdum superent naturalem virtutem animæ, tamen in se sunt effectus naturales, quos à virtute creata proprijs viribus fieri nihil repugnat: ergo potest infundi virtus intrinseca effectiua huius motus.

Obiectio.
Scot.

Sed obijcit Scotus, quia non potest vna qualitas esse indifferens ad mouendum versus omnes differentias positionis. Quia talis qualitas vnam tantum naturalem propensionem habere potest: ergo inclinabit ad vnum definitum locum, & consequenter, si ad alia loca moueatur corpus, non modo non iuuabit, sed potius impedit. Respondetur, negando consequentiam. Nam potest esse qualitas de se indifferens ad efficiendum hoc, vel illud vbi. Nam (si attentè res consideretur) siue Beatus sit in cælo, siue in terra, ipsa vbi intrinseca non sunt specie diuersa, & idè, cum alioqui hæc virtus non sit connaturalis, non est necesse, ut inclinet ad certum locum, neque ad seruandum aliquem situm, vel ordinem respectu aliorum corporum: ex quo provenire solet naturalis inclinatio ad aliquem motum, ac proinde potest optimè intelligi qualitas indifferens ad omne vbi, & habens efficaciam cuiusvis motus tendentis ad quæcunque locum, quæ per voluntatem determinetur ad hunc, vel illum motum efficiendum. De modo autem quo hæc qualitas infundatur, & dimanet à beatitudine animæ, eodem modo iudicandum est, sicut de claritate diximus. Et hinc etiam facile intelligi potest, quomodo hæc dos maior esse possit in maiori, quam in minori Beato propter maiorem vim ad velocius mouendū corpus: quæ potest provenire vel ex intensiori, & perfectiori qualitate iuxta posteriorem modum, vel ex maiori Dei concursu iuxta priorem.

Responsio

Tertio dicendum est de alio genere mutationis, seu agilitatis, quæ est per subitam mutationem, quæ fiat in instanti. De qua vnum est certum scilicet, non posse talem modum mutationis fieri transeundo per me-

Corpus mo-
ueri in instā-
ti ab extre-
mo in extre-
mū trāsēdo
per medium
impossibile.

per medium: quia oporteret vel totum corpus, vel aliquas partes eius simul esse in duobus locis quantitatiue, quod suppono esse impossibile secundum ordinariam potentiam. Et praesertim est indubitatum, non esse in potestate cuiuscunque Beati corpus suum in pluribus locis constituere: quia hoc nullum habet fundamentum, neque ad statum, vel perfectionem gloriae vlla ratione pertinet. Verum quidem est, habere Christum hanc potestatem supra corpus suum, (vt probabilius existimo, & inferius attingam) non tamen habet illam ratione solius gloriae corporis, sed propter hypostaticam unionem ad verbum. Itaque, si esse potest huiusmodi instantanea mutatio in corpore glorioso, necesse est, vt fiat transeundo ab extremo in extremū sine medio, vel ratione totius, vel ratione partium. Est enim considerandum posse intelligi hunc transitum, vel ad locum distantem, vel ad locum proximum, & contiguum: & in priori modo totum corpus, quod nunc est in hoc loco, futurum esse immediate post hoc in loco distante: vnde necesse est, vt totum illud transeat absque vlla existentia in medio. At in posteriori modo, licet totum corpus non incipiat esse immediate post hoc in loco distante, & distincto à priori loco, tamen necesse est, vt singulae partes sint in partialibus locis distantibus, & ideo oportet, vt transeant ab extremo ad extremum sine existentia in medio, in quo erit diuersa hac mutatio à simili mutatione instantanea angelica. Nam quando Angelus simul deserit totum locum: & alium immediatum acquirit, non intelligitur transire ab extremo ad extremum sine medio, quia totus est in toto loco, & in singulis partibus eius propinquis, & distatibus, & ipse non habet partes: quare se excludant à partialibus locis. At verò corpus constat huiusmodi partibus, & ratione illarum habet extensionem in ordine ad locum, ita vt totus sit in toto loco & pars in parte, & ideo si totum in momento acquirit nouum locum integrum, necesse est vt partes de nouo existant in locis distantibus absque transitu per medium. Quære igitur, an possit corpus Beati moueri in instanti nihil aliud est, quam quærere an possit transire ab extremo ad extremum sine medio.

D. Thom.

Qua in reinuenio fere omnes Theologos negantes corporibus beatiss hanc potestatem. Cuius rei præcipuus autor est D. Tho. 4. disp. 44. q. 2. art. 3. q. 3. qui dicit implicare contradictionem. Cuius fundamentum est. Quia corpus non mouetur, quando totum est in termino à quo, neque quando totum est in termino ad quem: quia tunc iam est motum: ergo mouetur, quamdiu est in medio: ergo necesse est, vt sit in medio, alioqui perueniret de vno loco ad alium, & nunquam moueretur, quod implicat contradictionem, quia ipsa successio locorum est motus localis. Quam rationem, eiusque conclusionem amplectitur Scot. d. 49. q. 4. art. 7. Sed in hi nullo modo probatur. Censeo enim, hoc mutationis genus esse possibile diuina ac supernaturali virtute, vt latius Deo dante dicemus ac supernaturali virtute, Et patet facile, quia ratio adducta non ostendit implicationem contradictionis, neque hætenus est aliqua excogitata, quæ illam ostendat. Assumptum declaratur, quia in hoc genere transitus non intercedit motus successiuus, sed mutatio instantanea. Vnde fit, vt mobile tunc mutetur, quando totum primo est in termino ad quem, quia tunc se habet aliter, quam prius. Nec refert, quod iam totum sit mutatum. Quia in mutationibus instantaneis simul est fieri, & factum esse, mutari, & mutatum esse. In quo eadem est ratio in Angelo quo ad mutationem discretam, seu instantaneam loci. Idem quippe interrogari de illo potest, quando, scilicet moueatur, vel in termino à quo, vel ad quem: & idē necessario respondendum est, nec faciendū est vis in

Soritus:
Trāsitus ab
extremo ad
extremū sine
medio diu-
ina virtute
possibilis.

verbis, motus, aut mutatione, dum modo de re constet, qua intellecta, nullum censetur inconueniens, quod aliquod corpus mutauerit locum absque motu, scilicet successiuo, cum sola instantanea mutatione. Quod si quis contendat, Angelum in hoc genere motus non mutari, dum est in termino ad quem: sed in successione vtriusque termini, idem responderi poterit de corpore, quamuis in vtroque sine causa vel necessitate id asseratur. Nisi fortasse eadē res, quæ à nobis explicata est, obscurioribus verbis dicatur. Nam reuera tota hæc mutatio est in illo instanti, in quo acquiritur terminus ad quem, quamuis non sit sine habitudine, & respectu ad terminū à quo, in toto autem præcedenti tempore mobile quieuit, quia eodem modo se habuit ac prius.

Alij ergo Theologi in assertionem consentiunt: non quia contrarium implicet contradictionem: sed quia huiusmodi genus motus est supra omnem virtutē creatam, cum tamen corpus gloriosum tantum possit mutare locum per virtutem creatam animæ, aut ipsius corporis. Ita Palud. dist. 44. q. 4. Duran. quæst. 7. Richard. distinct. 49. artic. 4. quæst. 7. & 8. ac fere alij. Nihilominus tamen probabiliter sustineri potest, datum esse Beato hanc vim, vt transire possit ab extremo ad extremum sine medio. Quia sancti Patres de agilitate corporis gloriosi tractantes, hanc ei vim tribuere videntur. Dicunt enim, posse corpus Beati in momento, & absq; retardatione eo diuerrere, quo impetus spiritus eum direxerit. Ita loquitur Laurentius Iustinianus dicto libro de perfectione monastica conuersationis, capit. 23. Augustinus vero de cognitione beatæ vitæ, cap. 45. & Anselm.

Palud.
Duran.
Richard.
Corporabea-
torum trās-
ire ab extre-
mo ad extre-
mū possunt
sine medio.

Lau. Iust.
August.
Anselm.

lib. de similitudinibus, cap. 48. & in prologo, cap. 25. dicunt corpora gloriosa futura Angelis æqualia in velocitate: sed est probabile, Angelos naturali virtute posse transire ab extremo ad extremum, non contingendo medium: ergo eadē velocitas ex sententia horum Patrum communicatur per gloriam corpori beato. Vnde Augustinus supra, & in Enchirid. cap. 90. & alijs locis citatis, sectione 1. dicit, tam cito posse Beatum reali præsentia sui corporis transire ad distantem locum, quam potest cogitatione: potest autem cogitatione subito transire, nihil de medio cogitando. Et Bernard. sermo. 4. in festo omnium Sanctorum, Tanta (inquit) futura est corporum agilitas beatorum, vt possint, si velint, absque omni mora, seu difficultate ipsam quoque cogitationem nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Et confirmatur, quia probabile est, animam separatam posse hoc modo moueri, & subito transire de vno loco in alium. Quia si Angelus id potest, cur non etiam anima? Sed in beatitudine non priuabitur anima propter unionē ad corpus vlla spiritali perfectione, & quasi libertate: ergo idem poterit cōiuncta corpori, quod secum eodem modo mouebit. Tandem quia Paulus dixit, resurrecturum corpus illud spirituale, dicunt Theologi habiturum proprietates spiritus etiam si supernaturales sint, & per virtutem creatam fieri non possint, vt verbi gratia posse penetrare per alia corpora: posse agere, & non agere suo arbitrio: cur ergo non idem dicatur de hac mutatione? Quæ ratio, vt minimum ostendit, fundamentum contrariæ sententiæ non esse firmum. Est ergo hæc sententia satis verisimilis, præsertim si verum est, hoc genus mutationis esse rebus spiritalibus connaturale: quod tamen incertum est.

Bernard.

1. Cor. 15.

Supposita verò hac sententia, addenda sunt duò. Primum est hanc mutationem non fieri per qualitatem superadditam. Quia nulla esse potest, quæ natura sua vim habeat ad mouendum corpus hoc modo. Neque verò dicendum est, fieri à solo Deo, ipsò Beato tantum passiuè concurrente, propter rationes allatas in secundo puncto: sed fieri ab anima, vel corpore Beati, vt instrumento diuinæ virtutis,

Yy 4 iuxta

iuxta modum paulo ante explicatum. Alterum est, in hac agilitate esse æquales omnes Beatos. Quia cū sit mutatio instantanea, non suscepit magis, aut minus: nisi quia fortasse dicat, perfectiorem Beatum posse ad locum distantiores vnica mutatione moueri: quod tamen neque est consentaneum modo loquendi Patrum (vt vidimus) neque est necessarium. Quia non est cōtra perfectionem beatitudinis quod in aliqua perfectione accidentaria sint Beati omnino similes, & æquales vt de immortalitate supra dictum est, & de subtilitate statim dicemus.

SECTIO V.

Utrum corpus Christi post resurrectionem potuerit simul esse in eodem loco cum quolibet alio corpore, & quomodo.

Diximus in prima sectione huius disputationis, subtilitatis dotem intelligendam esse in ordine ad penetrationem corporis gloriosi cum quouis alio corpore in eodem loco. Quia licet alijs modis explicari soleat: nullus tamē esse potest ita proprius, & accommodatus ad distinguendam hanc dotem ab alijs perfectionibus animæ & corporis, tam naturalibus, quam supernaturalibus. Tria ergo de hac dote explicanda supersunt. Primum an hic effectus sit possibilis. Secundum an de facto tribuatur corpori glorioso ratione beatitudinis. Tertium qua virtute, quoque modo fiat.

Durand.
Palud.

Circa primum Durandus disp. 4. quæst. 6. opinatur implicare contradictionem hunc effectum, scilicet vt corpora quantitativa existentia in loco simul se penetrent in eodem loco: cuius opinionem probabilem iudicat Paludanus. quæst. 3. Fundamenta sunt. Primum, quia duo corpora repugnant esse in eodem loco ratione suarum quantitatum, igitur manentibus eisdem quantitatibus, manet eadem repugnantia, quæ nullo modo potest auferri, quia non est effectiua: sed formalis. Secundo, quia non possunt omnes partes eiusdem quantitatis ita se penetrare, vt simul in eodem situ constituantur: ergo nec diuersa corpora. Consequentia est euidēs, quia tanta est repugnantia inter corpora discreta, quanta inter partes continuas. Sola enim continuitas non addit specialem repugnantiam. Antecedens vero patet, tum quia de ratione quantitatis est, vt habeat partem extra partem: tum etiam quia alias posset totum calum modico in vase concludi. Tertio fieri non potest, vt partes quantitatis successiuæ sint simul duratione: ergo neque etiam fieri potest, vt partes quantitatis continuæ sint simul loco. Patet consequentia: quia sicut de ratione quantitatis successiuæ est prius, & posterius in duratione: ita de ratione quantitatis continuæ permanentis est extensio partium, vt vna sit extra aliam. Quarto quia non potest vnus corpus quantitativæ poni in locis distinctis: ergo nec distincta corpora in eodem loco.

Hæc verò sententia omnino falsa est, & improbabilis, & occasionem præbet errandi circa multa mysteria fidei. Primo circa mysterium Eucharistiæ, in quo licet propriè non fiat penetratio quantitativæ: tamen propria quantitas corporis Christi altiori modo simul est realiter præsens cum quantitate panis, & vna pars corporis Christi ibi est, vbi est alia. Vnde Durandus coactus est negare, quantitatem corporis Christi esse sub Sacramento altaris. Quæ sententia erronea est, vt sub loco dicitur. Aliare- sponsio colligi potest ex Paludano, scilicet posse fieri per diuinam potentiam, vt corpus sit quantum, & non occupet locum. Quia illud est prius, quam hoc, & hac ratione posse fieri, vt corpus Christi, licet sit quantum, tamen quia vt est in sacramento nō

occupat locum, possit simul esse cum quantitate panis. Quod verò corpus quantum sit in loco, & non occupet locum, hoc est impossibile. Quia sunt omnino idem, si autem corpus occupat locum, impossibile etiam est, vt simul admittat aliud corpus in eodem loco. Quia occupare locum nihil aliud est, quam habere partes positione distinctas, & distantes à se invicem, & ab omni alia quantitate. Hæc vero responsio, licet aliquo modo euitet prædictum errorem circa fidem: tamen nullo modo satisfacit. Primo, quia multo difficilius est facere, vt corpus quantum non sit in loco, quam vt existens in loco simul sit cum alio corpore. Si igitur primum fieri potest cur non secundum? Antecedens declaratur. Nam vel esse in loco, late sumitur pro quocunque modo existendi alicubi secundum præsentiam realitatis: & ita non solum difficilius: sed etiam impossibile est, esse corpus quantum, & non esse in loco seu alicubi realiter præsens: vt dicemus latius agentes de Eucharistia. Velle in loco idem est, quod esse quantitativè in loco seu modo connaturali quantitati: & hoc modo multo difficilius est, separare à corpore quanto huiusmodi esse in loco. Quia non solum impeditur effectus extrinsecus, & quasi priuatiuus, scilicet, expulsio alterius corporis ab eodem loco, sed etiam effectus intrinsecus, scilicet propria extensio in ordine ad locum, qua impedita consequitur, quidquid est admirabile, supernaturale in alio effectu, scilicet, quod tota quantitas vnus corporis sit simul cum alio corpore, & similiter quantitas omnium partium inter se. Denique quamuis repugnet corpus esse quantitativæ in loco, & non occupare locum, tamen hoc ipsum, occupare locum, præcise, & formaliter non est distare ab alia quantitate, vel illam expellere ab eodem loco: sed est, ita replere illud locum, vt totum sit in toto, & pars in parte. Ex quo fit, vt corpus existens in loco, natura sua aptum sit ad expellendum aliud corpus, & distandum ab illo, & hanc aptitudinē semper retinet, quamuis actu non expellat. Ergo formaliter non repugnat, corpus occupare locum, & actu non expellere aliud corpus ab eodem loco: quia hoc est quid posterius, poterit ergo separari à priori, sicut etiā de alia proprietate quantitatis dicebatur.

Secundum mysterium fidei, & quod pugnat cum sententia Durandi, est triuitas Christi ex Virgine integra, & omnino intacta permanente, de quo in superioribus diximus, & ostendimus, Durandi euasiones non esse fidei consentaneas.

Tertium est mysterium resurrectionis Christi. cuius corpus egressum est de sepulchro clauso, & ingressum est ad discipulos ianuæ clausis. Ad quod varijs modis respondent Durandus, & Paludanus. Et primo negat ex Euangelij colligi, Christum egressum esse ex sepulchro lapide obserato. Nā licet Marcus referat, mulieres euntes ad monumentum dixisse. *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* tamen non refert, id dixisse, postquam ad monumentum pertinerant. Nam potius Lucas cap. 24. refert mulieres venisse ad monumentum, & inuenisse lapidem reuolutum: ergo ex Euangelij non potest colligi, lapidem fuisse sublatum, postquam Christus surrexerat, & non antea. Sed vt verum sit, hoc non esse expressum in scriptura, habetur tamen ex communi sententia antiquorum Patrum, qui ita videntur Euangelistas intellexisse, ex perpetua Ecclesiæ traditione. Iustinus quæst. 117. ad Gentes. *Quemadmodum* (inquit) *non mutatione corporis in spiritu de sepulchro* ritum Dominus super mare ambulauit, verum diuina potentia sua mare, quod pedibus calcare nequiret, ad ambulandum commouit, & peritum reddidit: ita & suapte potentia de monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est Iustin. & ad discipulos ianuæ clausa ingressus. Non enim exercitationis eius gratia facti ipsius de monumento facta est deuolutio, sed eorum causa, qui id erant conspecturi, vt ipsi reser-

Gregor.
Nazianz.

resurrectio ostenderetur. Significat Nazian. in Tragedia. Christus passus. Prius enim aperte dicit, mulieres per-
uississe ad sepulchrum adhuc lapide obferatum, &
tunc subito fuisse reuolutum lapidem, & sepulchrum
vacuum apparuisse. Et infra introducit Angelum sic
loquentem.

Vos dicite, inquam, hac omnibus primo loco
Et Petro, subactum tartarum, Christum excitum
Suo ex sepulchro, tum reuolutum ab ostio
Magno impetu saxum.

August.

Et postea clarius idem explicat, ut inferius referemus. Afferit hoc etiam August. serm. 138. de tempore. Quomodo, (inquit) de sepulchro ex re non posset, qui ex in-

Hieronym.

corruptis matris visceribus salua virginitate procepit? Et Hieronym. epist. 150. ad Hedibiam, quaest. 6. Non putemus (inquit) Angelum idcirco venisse, ut aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem: sed postquam Dominus resurrexit hora, quae ipse voluit, & que nulli mortalium cognita indicasse, quod factum est, & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis. Quibus verbis indi-

Matth. 28.

cat Hieron. expositionem verborum Matth. c. 29. & ex illis hanc sententiam colligit. Refert enim Matthaeus; Angeli ministerio fuisse lapidem sublatum. Ex quo fit vehemens coniectura, non fuisse sublatum, ut Christus resurgeret: quia si ita esset, potius virtute ipsius resurgenti tolleretur. Fuit ergo sublatus ab Angelo in testimonium resurrectionis factus. Vnde statim dixit Angelus mulieribus. Non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. Et ita etiam interpretatur expresse Chrysostom. homi. 90. in Matthaeum quem sequuntur Theophylactus Matth. 28. Euthym. c. 68. in Matt. Idem Chrysostomus homilia de Ioanne Baptista tomo tertio, ubi late, & eleganter hanc sententiam confirmat. Quam etiam docent Beda hom. in Vigilia Paschae, & Bernardus sermon. 1. de resurrectione. Est igitur temerarium sine causa hoc negare. Et quamuis non esset certum ita fuisse de facto: tamen omnes praedicti Patres supponunt, id esse possibile, atque ita diuinæ omnipotentiae id attribuunt. Denique ingressum ad discipulos, expresse dicit Ioannes cap. 20. factum esse ianuam clausam. Quod eodem modo interpretantur praedicti Patres locis citatis, & Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Euthymius, & alij super Ioannem, & Ambrosius Lucæ ultim. & Gregorius homilia vigesima sexta in Euangelium. Augustinus epistola tertia, & libro vigesimo secundo de Ciuitate cap. octauo, & de Agone Christiano, capite decimo quarto, qui eiusdem virtutis indicant fuisse hoc factum, cum natiuitate ex Virgine. Atque idem habet Theodor. dialog. 2. & Chrysost. hom. 2. de symbol. & Gregorius Nazianz. in praedicta Tragedia.

Christus post
resurrectionem
ad discipulos
ianuam clau-
singreditur
Ioann. 20.
Cyrill.
Alex.
Chrysostom.
Theophyl.
Euthym.
Ambros.
Greg. Papa.
August.
Theodor.
Chrysost.
Gregor.
Nazianz.

Stat ecce Dominus, has fores intra nouum hoc
Dignumque vero maximo miraculo.
Et quomodo autem foribus oclusis adest?
Quin forte & idem, sic sepulchro condito
Clauoque surgens exiit, velut antea
Virginis ab alio prodijt matris sue
Infracta seruans claustra quam castissima.

Athanasius praeterea orat. 4. contra Arianos dicit. Verbum per corpus suum dedisse discipulis aliquem sui sensum, quando ingressus est ad eos ianuam clausam. Quippe quod recte penetrabat, praesensque sui certitudinem assererat. Quibus verbis excluduntur aliae euasiones Paludani, & Durandi, indignae plane Catholicis vi-

ris. Dicunt enim, aut ianuam velocissime fuisse apertas, & iterum subito clausas: aut fuisse quidem clausas semper: Christum tamen non per illas intrasse, sed fenestram, aut ita suum corpus accommodasse, ut per rimulas aliquas intrare potuerit: quod de Christi corpore sentire indignum est. Significat ergo Athanasius, Ioannem Euangelistam non sine causa bis adnotasse Christum ingressum esse ianuam clausam, ut speciali miraculo, & Verbi virtute id factum esse significaret. Quod etiam significauit Leo Papa, epistola decima, ad Flavianum, capite quinto. Vnde Hieronymus epistola 61. ad Pammach. aduersus errores Ioannis Ierololymit. Quod clausi (inquit) ingressus est ostium, & usdem virtutis fuit, cuius & ex oculis euangelice. & Cyrillus Alexandrinus libro secundo de fide ad Reginas idem sentit. Vltima tamen euasio superest, fundata in his, quae praecedenti sectione dicta sunt, ingressum scilicet fuisse Christum ad discipulos, vel egressum de sepulchro, non penetrando corpora inter media: sed transendo ab extremo ad extremum sine existentia in medio: hoc enim etiam est diuinæ virtutis indicium, & maximum miraculum ac nihil indecentiae continet. Et sane, cum hic etiam modus fuerit possibilis, & sufficiat ad saluanda omnia, quae scriptura refert de hoc mysterio, non potest euidenter refelli haec responsio. Nihilominus ex dictis constat, non esse consentaneum multis ex citatis Patribus. Comparant enim hoc mysterium cum mysterio natiuitatis ex Virgine, de quo supra ostendimus nullo modo posse illa ratione explicari. Praeterea, multi explicant id factum esse per modum penetrationis, Hieronymus loco nuper citato: sic inquit. Dic mihi acutissime disputator, quid est maius, terra magnitudinem appendere super nihilum, & super aquarum incerta librare, an Deum transire per clausam portam, & creaturam cedere creatori? Apertius Hilarius libro tertio de Trinitate: Quare ergo per quas clausae domus partes sese corpore intulerit. Diligenter enim Euangelista expressit dicens, venit Iesus ianuam clausam, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impeneabilem transcurrit? stetit namque corporeus, non simulatus, at fallax. Sequantur igitur oculi mentis tuae penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentia tua visus introeat. Integra sunt omnia, & obserata: sed ecce astitit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt perua, nihil eedit ex solido. neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna, & lapides amittunt. Epiphanius expressius, quam ceteri, hoc tribuit corporis subtilitati, haeresi 20. Resurrexit (inquit) & clausis foribus ingressus est, ut crassarum partium corpus tenuium partium ostenderet ipsum, quod erat cum carne, & ossibus, fideique & spei nostra in seipso promissionem faciebat: & haeresi 64. Dominus noster Iesus Christus resurrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans: sed ipsum, quod erat in spiritualem subtilitatem transmutans, & spirituale totum cunctiens ingressus per fores conclusas, id quod fieri nequit hic in nostris corporibus propter crassitudinem, & quod nondum in spiritualem subtilitatem sint conuicta. Quod igitur erat id, quod conclusis foribus ingressus est? Aliud ab eo, quod crucifixum est, an ipsum crucifixum? omnino equidem non poteris non confiteri ipsum, quod crucifixum est. Quomodo igitur ingressum est foribus conclusis? Vt ostenderet quod corpus quidem esset, quod videbatur, & non spiritus: verum corpus spirituale subtilium partium, quod aliquando crassarum partium fuerat. Ex quibus omnibus aperte constat, hos Patres non solum sentire hoc diuinum opus possibile, sed re ipsa factum esse, idque esse magis consentaneum intentioni, & verbis Euangelistarum, & fortasse esse facilius, quam ingredi sine transitu per vllum medium.

Quartum mysterium est Ascensionis Christi in celum. Est enim de fide, ascensu suo penetrasse usque

Leo Papa.

Hieron.

Cyrillus
Alexand.

Hieron.

Hilar.

Epiphani.

Hebr. 4.

Iob 27.

Duo corpora
singula in eodē
loco esse su-
pernaturali-
ter notepu-
gna-
t. Thom.

Responsio
ad argumen-
ta Durandi.

Facultas exi-
stendi in eodē
loco simul cū
alio corpore
proprietate
gloriosis de-
bita corpori-
bus.

Vique ad supremum cœlum, iuxta illud ad Hebr. 4. *H. bentes ergo Pontificem, qui penetravit celos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem.* Non penetravit autem eos diuidendo, qui ferro & adamante subiores, à Iob dicuntur capite trigesimo septimo, & ideo Paulus fortasse, non sine mysterio vsus est verbo *penetrandi*.

Dicendū ergo est, non implicare contradictionē ut vnum corpus simul cum alio sit quantitatiuē in eodem loco. Hæc est sententia D. Thomæ, & omnium Theologorum, quos paulo inferius referemus. Ratio verò est, quia licet inter quantitates sit naturalis repugnantia in ordine ad idem spatium: tamen inde non fit, ut Deus virtute sua non possit illam superare: neque ex hoc sequitur aliquid contra formalem rationem, & essentiam quantitatis: ut supra explicatum est. Sicut etiam duæ qualitates contrariæ naturæ sua repugnant, & Deus potest illas in eodem subiecto ponere. Quod tandem confirmatur, ostendendo, rationes Durandi nullius esse efficaciz, quod esse debet sufficiens argumentum, ut non asseramus, hoc implicare contradictionem.

Ad primum igitur fatemur, naturalem repugnantiam in eodem loco inter corpora quanta esse ratione quantitatum, atque adeo manentibus quantitatibus manere eandem repugnantiam naturalem: nihilominus tamen fieri posse per Diuinam potentiam, ut illæ duæ quantitates loco penetreretur: quia illa repugnantia naturalis, in ordine ad diuinam potentiam nulla est, neque illi resistit, atque ita potest Deus simul conseruare corpus aliquod in vno loco, & in eodem aliud reponere.

Ad secundum negatur assumptum. Nam sicut duæ quantitates discretæ possunt penetrari in eodē loco: & duæ, vel plures partes eiusdem quantitatis continuæ. Neque est inconueniens, quod totum cœlum Diuina virtute possit in paruo vase concludi. Cum autem dicitur, de ratione quantitatis esse, ut habeat partem extra partem: si his verbis explicatur essentia quantitatis, & illa particula, *extra*, dicit ordinem ad locum, non debet significare actum sed aptitudinem. Non est enim de ratione quantitatis ut vna pars actu sit extra locum alterius: sed solum quod natura sua apta sit ad existendum in locali modo. Quod si supponatur quantitas esse extensa in ordine ad locum, sic necesse est, ut habeat aliquas partes, quarum vna actu sit extra locum alterius, quia hæc est ratio formalis extensionis in ordine ad locum: potuerunt tamen per Diuinam potentiam in eodem spatio, vel extensione esse penetratiuè plures partes æquales.

Ad tertium de duratione successiua respondetur, successiōem in conceptu suo significare extensionem quandam in duratione secundum prius, & posterius, & ideo repugnare manere extensionem sine hac successiōe: sicut etiam repugnat manere extensionem in ordine ad locum, absque eo quod sit pars extra partem etiam in ordine ad locum. At verò sicut successiō non semper est de ratione entis quod successiua sit, ita neque extensio in ordine ad locum est, de ratione quantitatis, & ideo possunt esse optime quantitates distinctæ, etiam si loco, vel situ non distinguantur.

Ad quartam negatur antecedens: & potest argumentum retorqueri. Nam Deus potest constituere vnum corpus quantum in pluribus locis, ergo & plura corpora in eodem loco: sed de hoc aliam.

Circa secundum, quamuis ex dictis cōstet, Christum Dominum post resurrectionem simul eundem locum occupasse cum alijs corporibus: non tamen inde fit hæc esse proprietatem debitam ratione beatitudinis corporibus gloriosis. Quia dici potest, non conuenire hoc corpori Christi ratione beatitudinis sed ratione vniōis. Nam etiam ante resurrectionem

interdum hac proprietate sui corporis vsus est, ut cum è matris illo prodiit: & fortasse eadem virtute est vsus, quando inter Iudæos ipsum persequentes, & comprimentes sine villo impedimento, contactuue transibat. Ceterum dicendum est, hunc modum subtilitatis communicari ratione beatitudinis corpori glorioso. Propter hanc enim causam docent Theologi omnes, proprietatem hanc communem esse omnibus corporibus gloriosis. Quam etiam esse communem sententiam Patrum sectio. 1. ostendimus: vbi & ex Paulo illam deduximus, & varijs congruentijs ostendimus. Exemplum insuper de Christi corpore commune est cunctis Beatis. Omnes enim corpore, & animo ascensuri sunt super cœlos. Item post diem iudicii in cœlo ambulare poterunt, & ad inferiores cœlos si voluerint, vel ad elementa descendere: & tamen verisimile non est, diuisum semper iri cœlum, ut ipsi moueri queat. Est ergo hæc proprietas debita corpori glorioso, Patuit autem Christum in via mortali interdum ea vti, vel propter vniuersalem potentiam faciendi miracula: vel quia duplici titulo illi deberi potest, scilicet ratione vniōis, & ratione gloriæ: vel certe, quia in via mortali voluit quædam indicia, ac vestigia gloriæ suo corpori debita exhibere. Erideo (ut notauit Innocent. lib. 4. de myst. Missæ, c. 12. subtilitatem accepit,) cum nasceretur ex virgine: claritatem, cum transigaretur in monte: agilitatem, cum incederet super mare: impassibilitatem, cum manducaretur in cœna.

Circa tertium difficile explicatu est, quid sit hæc proprietas in corpore glorioso, & quomodo se penetraret cum alio corpore. Duo autem hic sunt inuestiganda. Primum est dispositio quasi passiva illius corporis, an scilicet sit affectum aliquo accidentem, seu qualitate, ratione cuius penetrare possit aliud corpus. Si enim non est ita dispositum, igitur non est magis subtile ipsum corpus beati, quam cœlum, terra aut quodlibet aliud corpus, cum quo penetratur: quia hæc penetratio mutua est ex parte vtriusque corporis, & non est in vno maior dispositio ad illam, vel minor repugnantia naturalis, quam in alio. Si autem dicatur, corpus gloriosum esse specialiter dispositum, ac subtile effectum per aliquam internam qualitatem: id non videtur posse intelligi: quia illa qualitas non priuat corpus sua quantitate, ut per se constat: neque etiam tollere potest extensionem eius in ordine ad locum. Nam hæc tam intrinsecè coniuncta est ex natura rei cum quantitate, ut nulla qualitate creata impediri queat. Tum quia effectus adeo supernaturalis non potest esse connaturalis alicui qualitati creatæ. Vix enim mente concipitur, ac soli Deo propter eius infinitam virtutem conceditur. Tum etiam quia vel illa qualitas est spiritalis, & sicut non poterit afficere corpus, ut illud subtilius reddat, ac modum existendi eius immutet. Vel est corporea, & sicut natura sua possit labit partium extensionem in ordine ad locum: quomodo ergo illam impediat in quantitate? Vnde confirmatur, nam si corpus Beati esset ita intrinsecè dispositum, non posset, conseruata illa dispositione, habere extensionem partium in ordine ad locum, neque vna excluderet aliam ab eodem loco. Sicut corpus Christi existens in sacramento, & retinens illam dispositionem, & modum existendi, non potest habere prædictam extensionem.

Secundo, inuestiganda est virtus actiua, qua corpus gloriosum possit ita moueri, ut penetraret alia corpora: quia non videtur posse esse virtus intrinseca, nec superaddita per aliquam qualitatem: quia effectus est omnino supernaturalis, & possibilis solum ex obedientia creaturæ ad creatorem: ergo non potest esse connaturalis alicui qualitati creatæ: ergo superuacanea esset qualitas superaddita, quandoquidem non potest addere virtutem agendi su-

perna-

Supernaturalem, obedientialis enim sufficienter est in ipsa anima, & in potentia eius. Confirmatur, quia nulla potest esse qualitas creata, quæ vim habeat coniungendi in eodem subiecto calorem & frigus in gradibus intensis, ergo idem est in presenti. Si autem hæc virtus non est intrinseca corpori glorioso, ergo à solo Deo movetur, cum transit per aliud corpus, ergo non est ipsum subtile: quia eadem actione, & efficientia potest Deus constituere in eodem loco corpora quantumvis densa, & crassa.

Hæ rationes apud me conuincunt, primo hæc subtilitatem non esse qualitatem veluti formaliter afficientem corpus, illudque reddentem aptum, ut penetrari possit cum alio corpore, seu formaliter tollentem repugnantiam naturalem, quæ est inter duas quantitates respectu eiusdem spatij. Et in hoc conveniunt fere omnes Doctores in 4. distinctione 44. Durandus questione quinta, Paludanus questione tertia, Capreolus questione 3. Supplement. questione 2. & in distinctione 49. Scotus questione 18. Richard. articulo quarto, questione quinta, Maior, questione 20. & Scotus questione 4. articulo 6. Et est sententia D. Thom. ut statim videbimus. Solus Bonaventura articulo penultimo, quest. 1. videtur contrarium sentire, quamvis subobscurè, & Petrus de Tharantasia, quest. 3. problematice idem defendit. Sed non video fundamentum, neque quomodo satis intelligi possit.

Secundo censeo, satis etiam probari prædictis rationibus, ad hunc subtilitatis effectum non dari corporibus beatis qualitatem aliquam actiuam. Quæ est etiam sententia communis D. Thomæ, distinct. 44. quest. 2. articulo 2. questione 2. & idem sequuntur Scot. Capr. Paludan. Sotus, & alij. Et quamvis interdum Paludan. & Richard. videantur ponere subtilitatem in qualitate actiuâ: tamen loquuntur de subtilitate non in eo sensu, in quo nunc loquimur, sed ut pertinet ad subtilius, vel efficacius perficiendas operationes sensuum, de quo iam supra dictum est.

Tertio verò addo, hanc virtutem penetrandi alia corpora non esse omnino extrinsecam, ita ut solum consistat in quodam pacto, quo Deus statuit mouere corpus Beati, quandoque ipse voluerit, (ut Scotus, & fere alij interpretantur) sed in virtute intrinseca, & instrumentali animæ, vel corporis beati, cui ratione beauritudinis datū est, ut possit se hoc modo mouere tanquam instrumentum Dei. Sicut in priori tomo diximus. Christi humanitati datam esse virtutem miraculorum quasi permanentem per modum potentie, non quia illi sit data aliqua qualitas, neque solum, quia Deus ad præsentiam ipsius operatur: sed quia Deus statuit pro illius voluntate dare ei accommodatum concursum ad operanda miracula, ut instrumento diuinitatis. Sic igitur in præsentia Deus statuit, ratione beauritudinis vti voluntate, seu facultate motiua corporis beati ad hunc effectum pro eius arbitrio, & voluntate. Et hoc modo recte intelligitur, quomodo subtilitas sit dos Beati per modum virtutis actiue.

Atque ita facile soluuntur rationes dubitandi in principio posite. Ad summum enim probant, hanc subtilitatem esse aliquam vim internam ipsius corporis, siue illa sit principalis, siue instrumentalis: & ita est intelligendus Gregorius dicta homilia cum dixit, corpus beatum esse subtile per effectum spiritualis potentie: & Ambrosius Luc. 24. dicens. Per resurgens corporis qualitatem, Christum ianuam penetrasse: & Laurentius Iustinianus dicto capite vigesimo tertio, de perfectione monasticæ conuersationis, cum dicit, Caro spiritualis effecta, liberam ingrediendi quocumque recipit facultatem. Ad hæc enim omnia satis est, dicta instrumentalis virtus actiua, quam ponit etiam Richardus supra, & indicauit Bonaventura. Diuus Thomas, autem, qui soli diuinæ virtuti dicit tribuendum

hunc effectum, exponi potest de principali virtute. Non enim, credo, negaret instrumentalem actionem creaturæ, quam in alijs supernaturalibus operibus facile concedit. Sotus vero supra in anem fictionem appellat hanc virtutem actiuam, quæcumque illa sit: quia se penetrare (inquit) non est agere, & quia quantitas natura sua resistit non tanquam virtus actiua, sed quia locum replet. Tamen cum negari non possit, hunc effectum esse supernaturalem non video, quomodo fieri possit sine supernaturali efficientia. Deus enim hoc potest ratione suæ omnipotentie, ergo quando ita operatur, aliquid efficit proprium omni potentie suæ: ergo potest uti creatura ut instrumento ad hunc effectum, ergo verisimilius est, ita fieri in corporibus beatis, quia hic est altior, & perfectior modus operandi.

Dices, Ergo Christus in vita mortali habuit hanc dorem, quia habuit prædictam virtutem actiuam respectu sui corporis. Respondetur simpliciter negando consequentiam, quia dos subtilitatis non significat utrumque illam virtutem actiuam: sed connotat etiam talis corporis statum, in quo ei debeatur usus huius virtutis: corpori autem Christi in statu passibili hoc non debebatur, etiam si interdum ex speciali causa, & miraculo illa usus fuerit. Et hinc etiam intelligi potest, (quod Diuus Thomas, & fere omnes citati Theologi dicunt) corpus gloriosum posse penetrari cum corpore non glorioso, non verò cum glorioso. Id enim non est propter maiorem repugnantiam, quia reuera nulla est: sed propter decentiam, & debitum ordinem, ratione cuius non est debitum Beato concursus ad huiusmodi penetrationem cum alio corpore beato. Neque illa erit vniquam necessaria, quia vnus beatus non sese opponet alteri, neque alter tentabit incedere per locum, quem alius occupat. Et eadem ratione probabile est, non posse beatum quasdam partes sui corporis cum alijs penetrare, non solum mutando figuram, aut densitatem (ut quidam finxerunt: hæc enim aliena sunt à veritate, & impassibilitate corporis gloriosi) sed etiam absque hac mutatione, ut fieri posset inter manus, brachia, aut pedes: quia etiam hæc penetratio non est necessaria Beato, neque ad modum decens, neque conueniens optimæ dispositioni corporis humani, quæ requirit determinatum situm, ac distantiam partium, ut notauit etiam D. Thom. supra q. 4.

Obiectio.

Corpus gloriosum penetrari non potest cum corpore glorioso.

QVÆSTIO LV.

De manifestatione resurrectionis, in sex articulos diuisa.



Deinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi. Et circa hoc queruntur sex.

Primo, utrum Christi resurrectio omnibus manifestari debuerit: an solum quibusdam specialiter personis.

Secundo, utrum fuisse conueniens, quod eis videntibus resurgeret.

Tertio, utrum post resurrectionem debuerit cum suis discipulis conuersari.

Quarto, utrum fuerit conueniens, quod suis discipulis in aliena essie appareret.

Quinto, utrum resurrectionem suam argumentis manifestari debuerit.

Sexto, de sufficientia illorum argumentorum.

ARTI

Durand.
Palud.
Capreol.
Supp. G.
Sotus.
Richard.
Maior.
Sotus.
D. Thom.
Bonavent.
Pet. de Tharant.

Vir. tu adpe
neiraduma
liud corpus
in beato vn
de oritur.

Dos subtili
tatis in cor
pore glorioso
quid sit.

Gregor.

Ambros.
Lau. iust.

Richard.
Bonavent.
D. Thom.